monti admovit. Tum prima luce ex altera parte muros aggreſſus eſt, ubi orto Sole ſimulachra illa, armatorum referentia habitum, refulſerunt, oppidani captam urbem à tergo credentes, & ob hoc in fugam dilapſi, victoriam hoſtibus conceſſerunt. *Front. lib. 2. cap. 8. Stratage.*

A

CLEARCHUS Lacedæmonius exploratum habens Thracas omnia victui neceſſaria in montes comportaſſe, una quoque ope ſuſtentari, quòd crederent eum commeatus inopia receſſurum, per id tempus, quo legatos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captivis in conſpectu juſſit occidi, & membratim, tanquam alimenti cauſa in contubernia diſtribuit. Thraces nihil non facturum perſeverantiæ cauſa cum credentes, qui tam deteſtabiles epulas ſuſtinuiſſet experiri, in deditionem venerunt.

TYBERIUS Gracchus, Luſitanis dicentibus, in decem annos cibaria ſe habere, & ideò obſidionem non expaveſcere, Undecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti Luſitani, quanquam inſtructi commeatibus, ſtatim ſe tradiderunt.

AUL. TORQUATO Græcam urbem oppugnanti cùm diceretur, juventutem ſtudioſè jaculis, & ſagittis exerceri, Pluris
B eam, inquit, propediem vendam. *lib. 3 cap. 5. Stratag. Idem.*

Circa tutelam obſeſſorum, de exercitanda cura ſuorum.

ALCIBIADES Athenienſis, civitate ſua à Lacedæmoniis obſeſſà, veritus negligentiam vigilum denunciat his, qui in ſtationibus erant, ut obſervarent lumen, quod nocte oſtenſurus eſſet ex arce, & ad conſpectum ejus ipſi quoque lumina attollerent. In quo munere qui ceſſaſſet, pœnam paſſurum: dum ſollicitè expectatur ſignum ducis, pervigilatum ab omnibus, & ſuſpectæ noctis periculum evitatum eſt.

IPHICRATES dux Athenienſium, cùm præſidio Corinthum teneret, & ſub adventum hoſtium ipſe vigilias circumiret, vigilem, quem dormientem viderat, transfixit cuſpide, quod factum quibuſdam tanquam ſævum increpantibus; Qualem inveni, inquit, talem reliqui.

EPAMINONDAS Thebanus idem feciſſe dicitur. *Idem ſuprà.*

De emittendo, & recipiendo nuncio.

Romani obſeſſi in Capitolio ad Camillum ab exilio implorandum miſerunt Pontium Cominum, qui ut ſtationes Gallorum falleret, per ſaxa Tarpeja dimiſſus, tranſnato Ty-
C beri ad Vejos pervenit, & perpetrata legatione ſimiliter ad ſuos rediit.

Campani diligenter Romanis, à quibus obſeſſi erant, cuſtodias agentibus, quendam pro transfuga ſubornatum miſerunt, qui occultatam baltheo epiſtolam inventa effugiendi occaſione ad Pœnos pertulit.

Venatione quoque, & pecoribus quidam inſuerunt literas, membranis mandatas.

Aliqui & jumentum in adverſam partem impulerunt, dum ſtationes tranſeunt. Nonnulli interiora vaginarum inſcripſerunt.

L. LUCULLUS Cyzicenos obſeſſos à Mithridate, ut certiores adventus ſui faceret, cùm præſidiis hoſtium teneretur introitus urbis, qui unus, & anguſtus ponte modico inſulam continenti jungit, militem è ſuis ſciolum nandi, & nauticæ artis peritum, juſſit inſidentem duobus inflatis utribus, litteras inſutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter ſe diſtantibus commiſerat, ire ſeptem millium paſſuum trajectum. Quod ita peritè gregalis fecit, ut cruribus velut gubernaculis dimiſſis curſum dirigeret, & procul viſentes,
D qui in ſtatione erant, marinæ ſpecie belluæ deciperet.

HIRCIUS Coſ. ad Decium Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obſidebatur, litteras ſubinde miſit plumbo ſcriptas, quibus ad brachium religatis, milites Scultellam amnem tranſnabant.

Idem columbis (quas incluſas antè tenebris, & fame affecerat) epiſtolas ſeta ad collum religabat, eaſque à propinquo in quantum poterat mœnibus loco emittebat: illæ lucis, cibique avidæ, altiſſima ædificiorum petentes excipiebantur à Bruto, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat: utique poſtquam diſpoſito quibuſdam locis cibo columbas illuc devolare inſtituerat. *cap. 13. Idem.*

☞ *Vide multa in Loco de Epiſtolis.*

De introducendis auxiliis, & commeatibus ſuggerendis.

Bello civili, cùm Ategua urbs in Hiſpania Pompejanarum partium obſideretur, Maurus interrex, tanquam Cæſarianus Tribuni cornicularius vigiles quoſdam excitavit, è quibus aliquos evitans, conſtantia fallaciæ ſuæ per medias Cæſaris copias præſidium Pompeii traduxit. E

HANNIBALE obſidente Caſilinum, Romani farinam doliis ſecunda aqua Vulturni fluminis demittebant, ut ab obſeſſis exciperetur, quibus cùm objecta per medium amnem catena Hannibal obſtitiſſet, nuces ſparſere, quæ cùm aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu ſociorum neceſſitatem ſuſtentaverunt.

HIRCIUS Mutinenſibus obſeſſis ab Antonio ſalem, quo maximè indigebant, cuppis conditum, per amnem Saniturnum intromiſit.

Idem pecora ſecunda aqua dimiſit, quæ excepta ſuſtentaverunt neceſſariorum inopiam. *lib. 3. cap. 14. Idem.*

Quemadmodum efficiatur, ut abundare videantur, quæ deerunt.

Romani, cùm à Gallis Capitolium obſideretur, in extrema jam fame panem in hoſtem jactaverunt: conſecutique, ut abundare commeatibus viderentur, obſidionem, donec Camillus ſubveniret, toleraverunt. F

Athenienſes, adverſus Lacedæmonios idem feciſſe dicuntur.

Hi, qui ab Hannibale Caſilini obſidebantur, ad extremam famem perveniſſe crediti, cùm etiam herbas alimentis eorum Hannibal ſæpe arato loco, qui erat inter caſtra ipſius, & mœnia præriperet, ſemina in præparatum locum jecerunt: conſecuti, ut habere viderentur, quo victum ſuſtentarent uſque ad ſatorum proventum.

Reliqui ex Variana clade, cùm obſiderentur, quia defici frumento videbantur, horrea tota nocte circumduxerunt: captivos deinde præciſis manibus dimiſerunt, hi circumſidentibus ſuis perſuaſerunt, ne ſpem naturæ expurgationis reponerent in fame Romanorum, quibus alimentorum ingens copia ſupereſſet.

Thraces in arduo monte obſeſſi, in quem hoſtibus acceſſus non erat, collato viritim exiguo tritico, aut caſeo paverunt pecora, & in hoſtium præſidia dimiſerunt: quibus exceptis, occiſiſque, cùm frumenti veſtigia in viſceribus eorum apparuiſſent, opinatus hoſtis magnam vim tritici ſupereſſe eis, G qui inde etiam pecora paſcerent, receſſit ab obſidione.

THRASYBULUS dux Mileſiorum, cùm longa obſidione milites ſui affligerentur ab Aliatte, qui ſperabat eos ad deditionem, fame poſſe compelli, ſub adventum legatorum Aliattis frumentum omne in forum compellere juſſit: & conviviis ſub id tempus inſtructis per totam urbem epulas præſtitit: atque ita perſuaſit hoſti ſupereſſe ipſis copias, quibus diuturnam ſuſtinerent obſidionem. *Idem lib. 3. cap. 15.*

De eruptionibus.

Romani, qui in præſidio Panormitanorum erant, veniente ad obſidionem Haſdrubale, raros ex induſtria in muris poſuerunt defenſores: quorum paucitate contempta, cùm incautus muris ſuccederet Hasdrubal, eruptione facta, ceciderunt eum.

ÆMILIUS PAULUS, univerſis Lyguribus improviſo adortis caſtra ejus, ſimulato timore militem diù continuit, deinde fatigato jam hoſte, à quatuor portis eruptione facta, ſtravit, cepitque Lygures.

VELIUS præfectus Romanorum arcem Tarentinorum tenens, miſit ad Hasdrubalem legatos, uti abire ſibi incolumi H liceret: ea ſimulatione ad ſecuritatem perductum hoſtem, eruptione facta, cecidit.

C. POMPEJUS circumſeſſos ad Dyrrachium, non tantùm obſidione liberavit ſuos, verùm etiam poſt eruptionem, quam opportuno & loco, & tempore fecerat, Cæſarem ad caſtellum, quod duplici munitione inſtructum erat, avidè irrumpentem, exterior ipſe circumfuſus corona obligavit, ut ille inter eos, quos obſidebat, & eos, qui extrà circumvenerant, medius non leve periculum, & detrimentum ſenſerit.

FLAVIUS FIMBRIA in Aſia apud Hildinacum adverſùm filiū Mithridatis brachiis à latere ductis, deinde foſſa in fronte percuſſa, quietum in vallo militem tenuit, donec hoſtilis equitatus intraret anguſtias munimentorum, tunc eruptione facta ſex millia eorum cecidit.

C. Cæſar in Gallia deletis ab Ambiorige Titurii Sabini, & Cottæ legatorum copiis, cùm à Q. Cicerone, qui & ipſe oppugnabatur, certior factus, cùm duabus legionibus adventaret conversus hoſtibus metum ſimulavit, militeſque in ca-
A ſtris, quæ ampliora ſolito induſtria fecerat tenuit: Galli præſumpta jam victoria, velut ad prædam caſtrorum tendentes, foſſas implere, & vallum detrahere cœperunt: qua re prælio aptatos, Cæſar emiſſo repentè undique milite trucidavit.

TITURIUS Sabinus, adverſùs Gallorum amplum exercitum continendo militem juxta munimenta præſtitit eis ſuſpicionem metuentis: cujus augendæ cauſæ perfugam miſit, qui affirmaret exercitum Romanum in deſperatione eſſe, ac fugam cogitare. Barbari oblata victoriæ ſpe concitati, lignis, ſarmentiſque ſe oneraverunt, quibus foſſas complerent ingentique curſu caſtra noſtra in colle poſita petiverunt, unde in eos Titurius univerſas immiſit copias, multiſque Gallorum cæſis plurimos in deditionem accepit.

Aſculani oppugnaturo oppidum Pompejo, cùm paucos ſenes ægros in muris oſtendiſſent, ob id ſecuros Romanos eruptione facta fugaverunt.

Numantini obſeſſi, ne pro ullo quidem inſtruxerunt aciem, adeòque ſe continuerunt, ut Popilio Lenati fiducia fieret, ſcalis oppidum aggrediendi. Quo deinde ſuſpicante inſi-
B dias (quia ne tunc quidem obſiſtebatur) ac ſuos revocante, eruptione facta averſos, & deſcendentes adorti ſunt. *Front. cap. 17. lib. 3. Stratag.*

De conſtantia obſeſſorum.

Romani aſſidente mœnibus Hannibale oſtentandæ fiduciæ gratia, ſupplementum exercitibus, quos in Hiſpania habebant, diverſa porta miſerunt.

Iidem agrum, in quo caſtra Hannibal habebat, defuncto fortè domino, venalem ad id precium licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum venierat.

Hi dum ab Hannibale obſiderentur, & ipſi obſiderent Capuam, decreverunt, ne niſi capta ea, revocaretur inde exercitus, *Idem cap. 17.*

De fallendis iis, qui obſidentur.

DOMITIUS Calvinus, cùm obſideret Lucam oppidum Ligurum, ſitu non tantùm, & operibus, verùm etiam propugnatorum præſtantia tutum, circuiri muros frequenter omnibus copiis inſtituit, eaſdemque reducere in caſtra. Qua conſuetudine inductis ita oppidanis, ut crederent exercitationis id gratia facere Romanum, & ob hoc nil ab eo conatu ca-
C ventibus, morem illum obambulandi in ſubitum direxit impetum: occupatiſque mœnibus expreſſit, ut ſeipſos dederent, & oppidum.

C. DUILLIUS Coſ. ſubinde exercendo milites, remigeſque, conſecutus eſt, ut ſecuris Carthaginenſibus uſque in id tempus innoxiæ conſuetudinis, ſubitò admota claſſe, murum occuparet.

HANNIBAL in Italia multas urbes cepit, cùm Romanorum habitu quoſdam ſuorum ex longo belli uſu Latinè quoque loquentes præmitteret.

Arcades Meſſeniorum caſtellum obſidentes, factis quibuſdam armis ad ſimilitudinem hoſtilium, eo tempore quo ſucceſſura alia præſidia his exploraverant, inſtructi eorum, quia expectabantur ornatu, admiſſique per hunc errorem, ut ſocii poſſeſſionem loci, ſtrage hoſtium adepti ſunt.

CYMON dux Athenienſium, in Caria inſidiatus cuidam civitati, religioſum incolis templum Dianæ, lucumque, qui extra muros erat, noctu improviſus incendit: effuſiſque oppidanis, ad opem adverſùs ignes ferendam, vacuam defenſoribus cepit urbem.

D ALCIBIADES dux Athenienſium, cùm civitatem Agrigentinorum egregiè munitam obſideret, petito ab eis conſilio, diù tanquam de rebus ad commune pertinentibus diſſeruit in theatro: ubi ex more Græcorum locus conſultationi præbebatur, dumque conſilii ſpecie tenet multitudinem, Athenienſes, quos ad id præparaverat, incuſtoditam urbem ceperunt.

EPAMINONDAS Thebanus, in Arcadia die feſto effuſè extra mœnia vagantibus hoſtium fœminis, pleroſque ex militibus ſuis muliebri ornatu immiſcuit: qua ſimulatione illi intra portas ſub noctem recepti, ceperunt oppidum, & ſuis aperuerunt.

ARISTIPPUS Lacedæmonius, feſto die Tegeatarum, quo omnis multitudo ad celebrandum Minervæ ſacrum, urbe egreſſa erat, jumenta ſaccis frumentariis palea refertis onuſta Tegeam miſit, agentibus ea militibus, qui negociatorum ſpecie inobſervati portas aperuerunt ſuis.

Antiochus in Cappadocia ex caſtello Suenda, quòd obſidebat, jumenta frumentatum egreſſa intercepit: occiſiſque calonibus, eorundem veſtitu milites ſuos, tanquam frumentum reportantes, ſubmiſit. Quo errore illi cuſtodibus deceptis, caſtellum intraverunt, admiſeruntque milites Antiochi. E

Thebani, cùm portum Syciniorum nulla vi redigere in poteſtatem ſuam poſſent, navem ingentem armatis compleverunt, expoſita ſuper merce, ut negotiatorum ſpecie fallerent: ab ea deinde parte murorum, quæ longiſſimè remota erat, apparere paucos diſpoſuerunt, cùm quibus è nave quidam egreſſi inermes ſimulata rixa, occurrerunt: Sycioniis ad dirimendum id jurgium advocatis, Thebanæ naves, & portum vacantem, & urbem occupaverunt.

THYMARCUS Ætolus occiſo Charmade Ptolemæi regis præfecto, chlamyde interempti, & galero ad Macedonicum ornatus eſt habitum: per hunc errorem pro Charmade in Samniorum portum receptum, occupavit. *Idem lib. 4. cap. 2.*

☞ *Ex loco etiam Divitiarum. Tit. Divitiarum conſervatio pleraque. Liberari ab Obſidione.* ☞ *Pete ex loco de Libertate.* ☞ *Conſideretur quoque Locus de carcere.*

* Obſonium. Obſonatores.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA. F

OBſonatores dicuntur, qui obſonia emunt, vel curant. Obſonia autem ſunt cibi quivis, ſivè edulia, quæ adjuncto pane comeduntur, ut ult *Euſtath. in α. λ. p. 8. 14.* ἀπὸ τοῦ ὀψὲ ſero, idque quod ſerò, vel veſperi hujuſmodi cibi apponebantur: ſive quod delicatioribus illis cibis ſerò homines uti cœperunt, nam ab initio ſimplicioribus victitabant.

Plutarch. inter obſonia piſces excellere ſcribit *lib. 4. Sympoſ. problem. 4.* Unde & ὄψον pro piſcibus uſurpatur. Veteres tamen ὀψώνια, quoque pro militum cibariis accipiebant, ut teſtis eſt *Polyd. lib. 6.* Latini hinc vocem acceperunt obſonare, quod eſt obſonia emere. Quod munus incumbebat, vel patrifamilias, vel ſervis, vel etiam paraſitis. *Plaut.* teſtimonio docemur.

Poſtquam inquit *obſonavit herus, & conduxit equos.*

Et in *Captiveis.*

Ipſi ait, heri ſcil. *obſonant qua paraſitorū ante erat provincia.* Sed ſervorum id munus erat, quibus ut *Seneca* inquit, *Epiſt. 44.* dominici palati notitia ſubtilis eſt.

Officia autem obſonatorum complexus eſt *Jacobus Pontanus Progymnaſ. Lat. p. 3. progym. 2. 38.* G

Videatur etiam *S. Ambroſius lib. de Elia, & Jejunio c. 8.*

☞ *Pete ex loco de Convivio pleraque.*

* Obſtetrices. Obſtetricatio.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

OBſtetrices, ab obſtando, vel obſiſtendo dictæ, quòd obſiſtant dolori, vel fœtui, nè laxatis uteri clauſtris in terram cadat.

☞ *Vide Locum de Mechanicis operis. Tit. Mechanicæ operæ in hominem agentes, ut ſunt Obſtetrices.*

OBSTETRICANDI USUS ANTIQUUS.

Fuiſſe etiam in lege naturæ familiare obſtetricandi officium circà parientes, docet exemplum Rachelis, de qua legimus, quòd cùm propter difficultatem partus gemellorum, quos in utero habebat, periclitaretur, dixerit ei Obſtetrix, Noli time- H re, quia & hunc habebis filium. *Gen. 35. verſ. 18.*

De THAMAR quoque teſtatur *idem liber cap. 18.* quomodo cùm ex Juda concepiſſet, jamque pareret gemellos, quorum unus protulit manum, Obſtetrix ligaverit in ea coccinum, dicens. Iſte egredietur prior. *verſ. 27 & ſeq.*

PHARAO Ægypti dum conatus ſobolem Hebræorum opprimere, ac radicitus evellere Obſtetricum operam adhibere voluit, iiſque perſuadere conatus eſt, ut omnes infantes maſculini ſexus interficerent, feminas verò reſervarent in miniſterium Ægyptiorum. Harum autem obſtetricum velut principes erant Sephora, & Phua, ut conſtat *Exodi cap. 1.* per quas, reliquis ſuum mandatum ſignificavit, erantque obſtetrices Ægyptiæ, non Hebrææ, ut quidam opinantur.

OFFICIA.

Ad Obſtetricis officium requiritur, ut ſit perſpicacis intelligentiæ, non ſolùm difficultati partus opportunè, expeditèque ſuccurrendo, ſed etiam contra ea, quæ accidunt, protinus agendo, ingenioſa in deligando, & in ſecando umbilico infantis. *Ariſt. in hiſt. animal. lib. 7. cap. 10.*

Obſtetrices peritæ reprimunt intrò in uterum pueri ſanguinem; quo facto ſtatim infans, qui jam deficiebat, recreatur & vitæ reſtituitur. *Ibid.*

* Obſtinatio.

*Definitio, & Etymologia.

Obſtinatio; Græcè ἀυθάδεια, & αὐθάδης, obſtinatus dicitur. Obſtinatio, tenacitas mali propoſiti, pertinaciaque vinci nequit. *Chozk*, à verbo *Chazak* prævaluit, obfirmatus eſt. Ita ſolent pertinaces, recti ſpecie decepti, in pravo animi propoſito perſeverare, & malè conceptas ſententias mordicus retinere. Eſtque pertinax, imprudenter tenax, quaſi omnino tenax, *ſecund. Iſidor. lib. Etymolog.* Differunt tamen pertinax, & perſeverans, quia perſeverans eſt quantum oportet, pertinax verò plus, quàm oportet, & prius plerumque in meliorem partem uſurpatur.

Obſtinatus eſt ille, qui perſiſtit in ratione perverſa, abſtinens à bonis, ſicut continens propriè eſt, qui perſiſtit in ratione recta, à pravis concupiſcentiis abſtinens, *ſecund. B. Thom. ſecunda Secundæ q.*115.*art.*1. Ab obſtino verbo, quod ſignificat obfirmo, venit obſtinatio, hoc eſt, animi firmitas: & obſtinatus, obfirmatus.

Variæ Species.

Tres ſunt ſpecies Obſtinatorum: 1. eorum, qui ex correctione proficiunt: 2. eorum, qui ex commonitione deteriores fiunt: 3. eorum, qui emendationem promittunt, ſed non faciunt. Ex correctione Manaſſes factus eſt melior, Nabal ex commonitione deterior, Pharao ex afflictione deterior. *Hugo de* 12. *abuſionibus.*

Exempla ex S. Scriptura.

Cain poſt increpationem, quam fecit dominus, pejor fuit, & fratris homicidium perpetravit. *Gen.*4.

Cor Pharaonis non per blandimenta, quæ primò dixit Moyſes, ex parte domini, nec per dura flagella potuit emolliri. *Exod.*5. *uſque ad* 10. *cap.*

Filii Iſrael dicuntur à domino populus duræ cervicis, ut patet Ley. pluribus locis. *Exod.* 32.

Heli ſermonibus ſuis filios corripuit, ſed nihil eis profuit. 1. *Reg.*2.

Samuel prædixit Populo conditiones regis eorum valdè graves, & quod hoc diſplicebat domino, & tum noluit deſiſtere ab incœpto. 1. *Reg.*8.

Non per verba Jonathæ, nec per beneficia à David recepta cor Saul ad diligendum ipſum David potuit provocari. 1. *Reg.*18.19. *&* 20.

De Nabal dicitur, quòd erat durus, peſſimus, & malitioſus. 1. *Reg.*25.

Obſtinatè nimis Aſahel perſequebatur Abner. 2. *Reg.* 2.

Mittebat Dominus viris Juda prophetas, ut reverterentur ad eum, quòd illi audire nolebant. Immò & Zachariam filium Jojadæ increpantem eos, crudeliter occiderunt. 2. *Par.* 24.

Ezechias rex Juda miſit nuntios in univerſum Iſrael dicentes: Nolite indurare cervices ſicut patres veſtri, &c. Sequitur, quod illis irridentibus, & ſubſannantibus eos. 2. *Par.* 10.

Duriſſima fuerunt corda illorum, Qui venerunt ad comprehendendum dominum, quos cùm ad terram proſtraviſſet ſolo verbo, & auriculam illius ſanaſſet, non fuerunt moti ad miſericordiam vel ex miraculi manifeſtatione, vel ex beneficii pietate. *Luc.*22. *Joan.*18.

B. Stephanus Judæos ardenter increpans, ait: Dura cervice, & incircuncisis corde, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. *Act.*6.

Historica.

Fuit quidam Clericus in Leſmos, probabilis, ut fertur, vitæ, ſed fidei non ita. Is ſciolus in oculis ſuis præſumpſit dicere in Euchariſtia eſſe tantummodo ſacramentum, & non rem ſacramenti, id eſt, ſolam ſanctificationem, & non corporis veritatem. Super quo à Malachia ſecretò, & ſæpe conventus, ſed incaſſum, vocatus ad medium eſt; ſeorſum tamen à laicis, ut, ſi fieri poſſet, ſanaretur, & non confunderetur. Itaq; in conventu clericorum data facultas homini eſt pro ſua ſententia reſpondendi. Cùmque totis ingenii viribus, quo non mediocriter pollebat, aſſerere & defendere conaretur errorem, Malachia contrà diſputante, & convincente judicio omniũ ſuperatus, de conventu confuſus quidem exiit, ſed non correctus. Dicebat autem ſe non ratione victum, ſed Epiſcopi preſſum auctoritate: (ut etiam hæretici veritate preſſi ſuos errores palliare conantur.) Et tu, inquit, ô Malachia, ſine cauſa me hodie confudiſti, adverſus profectò veritatem locutus, & contra tuam ipſius conſcientiam. Mœſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis fidei dolens injuriam, timens periculum, Eccleſiam convocat, errantem publicè arguit, publicè monet, ut reſipiſcat. Suadentibus hoc ipſum Epiſcopis, & univerſo clero, cùm non acquieſceret contumaci, anathema dicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic evigilans. Omnes, inquit, ſavetis homini potius quàm veritati. Ego perſonam non accipio, ut deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſtomachans ſanctus: Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat, vel ex neceſſitate. Quo reſpondente, Amen, ſolvitur conventus. Tali ille inuſtus cauterio fugam meditatur, infamis, atque inhonorus fore non ſuſtinens. Et continuò ſua tollens exibat, cùm ecce ſubita correptus infirmitate ſiſtit gradum, viribuſque deficiens, eodem loco jactat ſe ſuper ſolum anhelus, & feſſus. Fortè incidens in id loci vagabundus inſanus, offendit hominem: quidnam ibi agat percontatur. Reſpondet, gravi ſe infirmitate teneri, & neque procedere, neque redire valentem. Et ille, Infirmitas iſta haud alia, inquit, quàm ipſa mors eſt. Hoc autem non dixit à ſemetipſo, ſed pulchrè Dominus per inſanum corripuit eum, qui ſanis acquieſcere noluit conſiliis ſenſatorum. Et addit, Revertere domum, ego te juvabo. Denique ipſo duce revertitur in civitatem: rediit ad cor, & ad miſericordiam Domini. Eadem hora accitur Epiſcopus, agnoſcitur veritas: abiicitur error, confeſſus reatum abſolvitur, petit viaticum, datur reconciliatio, & uno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur, ita mirantibus cunctis, ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachiæ, & ſcripturæ pariter dicentis, Quia vexatio dat intellectum auditui. *In vita S. Malachiæ per D. Bernard. conſcripta. Bredem. lib.*1. *Collat. ſacr. cap.*16.

Ternate decedens Franciscus Xaverius Indorum Apoſtolus, ex maximo Ternatinorum numero dumtaxat reliquerat duos, quibus detrahere nequiverat pellices. Amboinum igitur reverſus (miſericordia indignationis locum occupante) litteras ad Ternatinum amicum dedit, rogans, ut duos illos ſuis verbis quàm belliſſimè ſalutatos commonefaceret, ſi quando in animum tandem induxiſſent è flagitiorum cœno emergere, confeſtim ſe illuc advolaturum? interim nunquam ceſſaturum eorum ſalutem à Deo communi parente deprecari. Malacæ verò cùm identidem verba faceret ad populum, audiebatur interdum ab Judæo, erudito illo quidem, ſed (quod illius gentis vitium proprium eſt) pervicaci, nec minus Xaverii irriſore, quàm veritatis. Is vitiis ſimul & erroribus implicatus obſtinatè obſtabat Evangelio: ejuſque auctoritas cæteros Judæos à Chriſti fide deterrebat. Hunc igitur Franciſcus omni obſequio demulcens, & comiter apud eum cœnitans, adeò flexit, ut in contrariũ mutatus, è pertinaci Judæo probus, ac pius fieret Chriſtianus. *Ex l.*6. *vit. P. Franciſci Xaverii, c.*10. *per P. Ribad.*

Canonorium rex Luſitanorum, portu celebris, inter Goam, & Gocinum interjecta. Hunc portum petens ex itinere Xaverius, quendam in ipſa navi ad confeſſionem peccatorum perducere fruſtra conatus, incepto pauliſper deſtitit, ut ſecurum ex improviſo adoriretur. Namque ille cùm urgeretur acriùs, ut erat obſtinato ad negandum animo, confirmarat jurejurando, ſe nunquam id eſſe facturum. Franciſcus ergo, ubi in terram deſcenſum eſt, ſtatuit in exitiali morbo ultima experiri remedia. Itaque aliud ſed jam agere ſimulans, pervicacem hominem comiter, per ſpeciem animi relaxandi, in ſaltum (ut regionis natura fert) frequentibus palmis conſitum ducit. Ut in locum ab arbitris remotum ventum eſt; ſubitò depoſita veſte, tergòque nudato, procumbit in genua: mox ſtupente illo, & quid tandem rerum tanto impetu acturus eſſet expectante; flagrum depromit aculeis ferreis ſanè aſperum, atque in ejus conſpectu tergum ſuum ſtrenuè diverberans exclamat, ſe ejus cauſa id quidquid eſſet ſupplicii, ſubire, ut cæleſtem ab eo avertat iram. Inter hæc palmetum reſonabat ictibus plagarum: ſpectator ille ſtupens, & attonito ſimilis Franciſci cruore reſpergebatur. Ergo admiratione in miſericordiam verſa, ſtatim ad pedes Xaverii provolutus rogat, alienam culpam ſuo tergo luere deſiſtat: ſe paratum eſſe ſua aliquando expiare peccata. Itaque Xaverius victoria lætus extemplo induit veſtem, ejuſque confeſſione audita, perditum hominem in viam, ac ſpem ſalutis reducit. *Idem ibid.*

OBSTI-

Obſtinationis Indicia, et Effectus.

Quinque ſunt ſigna, ſive effectus obſtinatæ mentis. I. Cæcitas animi, de qua *Jod. cap.*12. Palpabunt, inquit, quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios, *&* *cap.*25. Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcientes vias ejus.

Secundum eſt voluntaria ſurditas, *Iob.*21. Qui dixerunt Deo recede à nobis, ſcientiarum viarum tuarum nolumus. Talis fuit Pharao, dicens *Exod.*5. Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus? neſcio Dominum: De utraque *Iſaias cap.*42. *v.* 19. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum, quis cæcus niſi ſervus meus: & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi.

Tertium eſt contemptus Dei, & hominum. *Prov.*18. Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, ſed ſequitur eum ignominia, & opprobrium viciſſim, talis à Deo contemnitur, & deſpicitur. *Prov.*1. *v.*25. Deſpexiſtis omne conſilium meum, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quòd timebatis, advenerit.

Quartum eſt incorrigibilitas, *Eccleſ.*7. Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexit. Huic connexa eſt impudentia, & perfricta frons. *Ierem.*3. Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. *Prov.*2. Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.

Quintum eſt ſtupor, *Prov.*23. Erit ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo, & dicet: Verberaverunt me, & ego non ſenſi. Huic conjuncta eſt difficultas, & quædam quaſi impoſſibilitas reſipiſcendi. *Jerem.* 13. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & vos benè poteritis facere, cùm didiceritis malum. Et *cap.*17. Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtilo ferreo, in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.

Obtrectatio.

☞ *Vide* Detractio, & Maledicentia.

* Occaſio.

Definitio, & Etymologia.

Occaſio, Græcè ἀφορμὴ καιρὸς dicitur. Eſt autem occaſio opportunitas temporis caſu proveniens. Venitque ab occido penul. brevi, quòd modò ſignificat, obvenio, ab ob, quòd eſt citum vel propter, & cado. Occido etiam nonnunquam interimor ſignificat, unde occaſus, hoc eſt, interitus. Aliquando cado, unde Sol occidere dicitur, quia cadere videtur, dum mergitur, & occaſus Solis, ipſa merſio Solis.

Alias definitiones. ☞ *Vide Tit. ſequenti.*

Encomia.

Veteres uſque adeò veneratos occaſionem pro exploratoeſt, ut teſte *Calliſt.* eam more ſuo divinitate donaverint, ſic tamen ut Græci Deum, Latini Deam effinxerint. Quòd non alia ratione factum videtur, quàm quod Græci tempus ipſum opportunum, Latini verò temporis opportunitatem ſpectarint; eoque rem eandem ſub diverſo ſexu conſideratam, illi maſculina, hi muliebri voce expreſſerint. Quòd enim Latinis fœmineo genere Occaſio, id Græci virili καιρὸς efferunt; & pingitur. Tempus, inquit *Volater.* quod Græci, καιρὸς, nos Occaſionem, ſive tempeſtivitatem dicimus; quòd idem eſt, atque temporis opportunitatem dicere.

Natura.

Romanus Orator libris officiorum Occaſionis naturam differit, quando ejus naturam, ab ipſamet origine, licèt alio ſcopo inveſtigatam enucleat. Modeſtia, inquit, ſecundùm Stoicos eſt ſcientia earum rerum, quæ aguntur, & dicuntur loco ſuo collocandarum. Videtur autem eadem vis ordinis, & collocationis fore: nam & Ordinem ſic definiunt; compoſitionem eſſe rerum aptis, & accommodatis locis. Locum autem actionis opportunitatem temporis dicunt eſſe. Tempus actionis opportunum εὐχαιρία, latinè appellatur Occaſio, ſic fit, ut modeſtia hæc, ſcientia ſit opportunitatis idoneorum temporum ad agendum. Hæc ille: qui 1. quoque *de Inventione*, Occaſio, inquit, eſt pars temporis, habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. Et hæc eſt propria Occaſionis definitio.

Quia verò illa licèt optata, plerumque tamen, nec opinanti ſolet accidere, rectè, inquit, *Feſtus*; Occaſio eſt opportunitas temporis caſu proveniens. Et quoniam in illa temporis opportunitate, rei ſemper aliquid obvenit, quæ partem illam temporis, qua accidit, ad aliquid, vel faciendum, vel omittendum opportunam, & tempeſtivam reddit; hinc aliquando indifferenter, & partam illam temporis, & rem ipſam nunc obtingentem (in qua & locum rei aptum complectimur) Occaſionem appellamus, & veteres videmus uſurpaſſe.

Videtur quoque nomenclaturæ ipſius ratio, ſeu etymologia id ſubindicare, cùm & tempus illud opportunum, & res ipſa tam tempeſtivè proveniens, circum & propter te, & velut ob oculos tibi cadat, atque occaſu, vel eventu ſuo Occaſionem tibi præbeat opportunam.

Imago. Sive Repræsentatio.

Veteres hoc ſchemate Occaſionem ob oculos ponebant. Etenim Nympham alatis talaribus, volubili rotæ inſiſtentem effingebant, vertigine quàm citiſſima ſemet in orbem circumagentem, priore capitis parte capillatam, poſteriore vero calvam, novaculam manu tenentem, ut quæ acie quidem eſſet acutiſſima, oppoſita verò parte planè obtuſa, uſuique inepta. Quæ omnia quia *Auſonius* de Græco, ut *Politianus* monet, eleganti carmine explicat, illud hic ſubiiciendum duxi.

Cujus opus? Phydia qui ſignum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit: tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rarò, & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum; Mercurius qua
Fortunare ſolet, trado ego, cum volui.
Crine tegis faciem. Cognoſci nolo: ſed heus tu,
Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta Comes? Dicat tibi. Dic rogo, quæ ſis?
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas.
Nempè ut pœniteat; ſic Metanæa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum; Si quando volavi,
Hæc manet: hanc retinent quos ego præterii.
Tu quoque dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

Additur in hoc *Auſonii* Epigrammate Metanœa, ſive pœnitentia Occaſioni comes, & rectè, tametſi in Græco non habetur: Nam quanta eſt negligentia in Occaſione oblata nec arrepta, tanta mox ab elapſa oboritur pœnitudo. Hinc verè dici ſolet; Nemini unquam ſera defuiſſe conſilia.

Expreſſit & aliud Occaſionis ſchema *in Emblemate Andreas Alciatus*, quòd ita deſcribit διαλογιστικῶς.

Lyſippi hoc opus eſt, Sicyon cui patria, tu quis?
Cuncta domant capti temporis articulus.
Cur pinus ſtas? uſque rotor, talaria plantis
Cur retines? paſſim me levis aura rapit.
In dextra eſt tenuis dic unde novacula? acutum
Omni acie hoc ſignum me magis eſſe docet.
Cur in fronte coma? occurrens, ut prendat. At heus tu
Dic cur pars calva eſt poſterior capitis?
Me ſemel alipedem ſi quis permittat abire,
Ne poſſim apprenſo poſtmodo crine capi.
Tali opifex nos arte, tui cauſſa edidit, hoſpes:
Utque omnes moveam, pergula aperta tenet.

Aliam Occaſionis Ideam expreſſit in ſuo de occaſione libello *Ioan. David ex Societate* Jesu, dum eam exprimit ea quidem forma, quam Auſonius proponit, nempè ad modum Mulieris, quæ fronte capillata, & occipitio eſt calva: ut ſignificetur, arripiendam eſſe occaſionem, dum ſe prima fronte offert, alioquin ſi neglectam præterire permiſeris, elapſuram, nec à tergo, utpote calva, poterit apprehendi, ut vel maximè id coneris.

Verùm dextra lævaque, eadem omnium deſiderabilium, delectabiliumque inſignia tradit, ut doceat per occaſionem veros honores, & gloriam obtineri poſſe, & ex ea omnium bonorum tam ſpiritualium, quàm corporalium affluentiam promanare, dummodo eam excipiamus opportunè, ac bene illa utamur.

Ejus autem comes, & dux conſtituitur Tempus, eò quòd non niſi temporis ſucceſſu talis opportunitas, quam occaſionem vocamus, obtingere cognoſcatur. Et ita verè dicere licet, quod per tempus gratiæ, & Evangelii, occaſione ingrati-

titudi-

titudinis Judæorum, gentes occaſionem ſalutis in Chriſto
A reppererint. Igitur tempus eſt, quòd opportunitatem rerum faciendarum adfert. Eſt enim occaſio, ut bene *Mirandula*, pars quædam temporis opportuni, & ſignati. Quod etiam Medici ſentiunt, exponentes illud Hippocratis, Occaſio præceps, quam ſententiam *Galenus* explicans: eſt, ait occaſio præceps, quia materia, circa quàm medicina verſatur, ſemper fluit. Corpus enim noſtrum mutationibus obnoxium eſt, ſemperque à cauſis intrinſecis, vel extrinſecis alteratur.

Et quoniam tempus, & occaſio à divini Numinis benignitate nobis conceſſa ſunt, idcircò in eadem imagine favorem illius omnia fœcundantem exprimendum ſupra nominatus Auctor cenſuit, & occaſioni adjungendum.

Libet his adjungere Proſopopejam, quàm non inelegans quidam poeta Schemati prædicto præfixit: ut per quàm multa, quæ in illo delineata conſpiciuntur, illuſtrari aptè poſſunt.

Vive Occaſio, vive; inauſpicati
Nec te nominis hujus urat omen,
Ceu merè Occiduas ſonet tenebras.
Tandem, quod benè vertat, orta es orbi.
Non Caduciferi excitata virga,
Non Amphionis, Orpheique plectro.
Quid feræ, & trepidi audiere manes:
Davidis ſed enim potentioris
B *Docto pollice, Dædalaque penna;*
Penna remige candidum per æquor,
Qua quiſquis volitat virum per ora,
Huic Lethen datur, aut videre nunquam,
Aut poſtliminio indidem reverti.
Hoc lucem tibi dat, dabitque porrò
Nec lucem modo ſimplicem fruiſci,
Myſis, & miſeris abominatam;
Sed vita decus eminentioris,
Famam quæ ciet, ac vovet perennem.
Quippe divitias tuas, honores,
Penum commoditatibus refertam,
Lautam ſynthesin, anulo, inaures,
Et mundum omnibus explicat nitentem.
Unum ſors verſare; nec comanti
Frontis calvitium citet pudori,
Neu quis de trivio dicaculorum
Ridendam Glabrionibus propinet.
Non eſt, quòd metuas, amica non eſt:
Namque idem ille, Pater facetiarum
David, areolam coma carentem.
Aptè ſic radio ingeni figurat,
C *Sic diſcriminat, expolitque; ut aureis*
Qui frontem tibi ventilant, capillis,
Videri faciat venuſtiorem.
Quid? Ceſton Veneriſque, Gratiaſque,
Quòd jungit tibi, ut implicare dextram
Horæ, atque Aligeri ambiant beati:
His Occaſio perpolita ad unguem,
Qualis Nympha thoros petit jugales.
Num magna atria, principeſque turres,
Num vultus Procerum ſereniorum,
Num vel Auſtriacas pavebis aulas?
Quas primùm attigeris, probè inſtituta,
Geſtu nec tetrico, nec indecoro,
Paſſam cæſariem reductam utrinque,
Prætendes venerans; at hi prehenſam
Stringent molliter, & volens ſequeris.
Tali docta lacinia teneri.
Hæc te Heroica ſi fovebit umbra,
(Umbra à ægide tutior Minervæ!)
D *Vive Occaſio, vive; inauſpicati*
Nec te nominis hujus urat omen,
Ceu merè Occiduas ſonet tenebras.

HIEROGLYPHICA.

* Occaſionis captorem, ſeu hominem temporum omnium conditioni ſeſe accommodantem, per *Echinum* animal deſignavit antiquitas. Novit equidem Echinus(terreſtrem intellige) cubilia ſua, Aquilonum, & Auſtrorum mutatione commutare. Duas enim cubilibus feneſtras facit, alteram Notum versùs, Boream versùs alteram, quaque parte ventum futurum præcognoſcit, feneſtram obturat, alteram recludit: ſin intra tectum alatur, ad parietum diſcedit. *Pier. Var. libro* 8.

* OCCASIO ARRIPIENDA. E

PITTACI illa eſt celebrata ſententia, γνῶθι καιρὸν id eſt, noſces tempus, vel opportunitatem, ſive tempeſtivitatem: Romana vox. Veni in tempore. Interpretatio hujuſce ſapientiſſime dicti ſaluberrimi, ut ſcilicet norimus in rebus agendis, obſervemuſque opportunitatem, ut in tempore cuncta aggrediamur. *Terentius* rerum omnium eſſe primum, tempus, ait. Repetent cuncti (ut verbis Auſonii utar) quotus offenſam incidat, ſpectata cui non fuerit opportunitas, Medicus in danda medicina, ægroto norit tempeſtivitatem, nam ut ille inquit, *Temporibus medicina valet*, contra nihil eſt in morbis magis periculoſum, quàm immatura medicina, Quod & memorat *Seneca in lib. ad Albinam matrem de conſol.* Præcipit Plinius noſter, cavendum, ne in remediis vitia fiant, quod evenit nimia, aut intempeſtiva medicina. In cibo quoque dando, ò medice noſce, quando intempeſtivum eſt. Nam ut *Cornelius Celſus* veriſſimè ſcribit: optimum medicamentum eſt cibus opportunè datus, qui quando dari debeat, inter medicos non ſatis conſtat. Notum eſt illud *Ovid.*

Ipſa leget tempus, medici quoque tempora ſervant.

Plautus opportunitatem innuens efficaciſſimam eſſe in rebus, *ait in Pſeudolo*: Ipſa mihi opportunitas non potuit opportuniùs advenire. *Item in Menechmis*: Non potuiſti magis per tempus mihi advenire, quàm advenis. Ita ego ſoleo, commoditatis omnes articulos ſcio. F

Hiſtorici prodiderunt, Veſpaſianum id temporis fuiſſe facillimum, & indulgentiſſimum, quo in balneum, tricliniumque tranſibat, eaque momenta, atque occaſionem domeſticos ad aliquid petendum magnopere optaſſe.

Γνῶθι καιρὸν, id eſt, noſce tempus.

Conſimiliter vos, qui vultis apud principem impetrabiles eſſe, captate id tempus, quo remiſſior, hilarior, indulgentiorque eſſe ſolet: ſcitote plus pollere tempeſtivitatem hanc ad ſucceſſus petitionum, quàm adipem leonis, quàm ſanguinem baſiliſci, quàm ſpondylon draconis, quàm anguium diynedarum ovum, cæteraque id genus promiſſa magicæ vanitatis. Contra, non parum multi intempeſtivè interpellantes meritò repulſam patiuntur.

Tempeſtivitas denique perſpicienda in materia cædenda, in emptionibus, venditionibus, amationibus, in agriculturis, frumentis decidendis, meſſibus, vindemiis, oleitate, ſationibus, inſitionibus, propagationibus, &c. *Reliqua lege apud Philippum Beroaldum in heptalogo ſapientum.*

Nec malè Hor. 13. *Ode Epodon.*

Horridas tempeſtas cœlum contraxit, & imbres,
Niveſque deducunt Jovem: nunc mare, nunc ſylvæ,
Threicio Aquilone ſonant; rapiamus amici G
Occaſſionem de die: dumque virent genua,
Et decet, obducta ſolvatur fronte ſenectus.

Phocilides quoque non minus verè:

Καιρῷ δουλεύειν, μὴ δ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι,
Occaſioni obtemperare, & noli ſpirare contrà ventos.

Catonis quoque monitum eſt,

Rem tibi quàm noris aptam dimittere noli.
Fronte capillata, poſt eſt occaſio calva.

* ARREPTÆ COMMODA, ET VIRES.
EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Quàm verum ſit illud Demoſthenis pronuntiatum, Parvæ occaſiones magnarum rerum cauſæ exiſtunt, & iterùm. Nihil prætermittendum, quod ad rem pertineat; evidentibus hiſtoriarum exemplis demonſtrandum. Primùm ſe offert Jacob Patriarcha. Is ſiquidem occaſione habita, fratris ſui Eſau provocatus ingluvie, jus Primogenituræ (ſibi alioqui à Deo conſignatæ) acquiſivit. Occaſione item arrepta, mater ejus Re- H
becca, ipſi apud patrem morti vicinum, benedictionem procuravit. Audierat ſiquidem Iſaac dicentem Eſau, ut venatione aliquid captum adferret, acciperetque noviſſimam benedictionem. Uſa eſt prudens mater opportunitate in gratiam dilecti, & à Deo electi filii Jacob, & ſucceſſit è voto.

JOSEPH de neceſſitate virtutem faciens, occaſione venditionis ſui, oblatiſque ad eximia mediis opportunè utens, Princeps Ægypti factus eſt, & ſalvator mundi publico triumpho proclamatus.

JACOB pater ejus opportunitatem coemendi in Ægypto frumenti adeò non putavit negligendam, ut etiam filios ſuos eam ſegnius obſervantes, graviter, nec ſine expoſtulatione
A increparit. Sic habet hiſtoria: Audiens autem Jacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis ſuis; Quare negligitis? Audivi, quòd triticum venundetur in Ægypto: deſcendite, & emite nobis neceſſaria, ut poſſimus vivere, & non conſumamur inopia. Sicque famem univerſalem non modò, mortemque evaſit, ſed hac occaſione, & filium Joſeph, quem à fera peſſima devoratum credebat, viventem, triumphantemque invenit; & ipſe cùm tota ſua familia in Ægyptum commigrans, tam honorificè à rege eſt receptus, ut diceret ipſe Rex Joſeph; Terra Ægypti in conſpectu tuo eſt: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen. Idque totum per occaſionem benè captatam.

MOYSES occaſione opportunæ adaquationis gregis Jetro ſacerdotis Madian, gener ejus factus eſt. Erant ei ſiquidem ſeptem filiæ, quæ venerant ad hauriendum aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui. Supervenerunt paſtores, & ejecerunt eas, ſurrexitque Moyſes, & defenſis puellis, adaquavit oves earum. Et quemadmodum occaſionem fugiendi ex Ægypto arripuerat, eò quòd Pharao
B illum quærebat occidere; ita benè merendi de filiabus Jetro occaſionem non negligens, apud illum invenit gratiam, quam apud Regem amiſerat.

Urgente quoque famis neceſſitate ſimilem cum prædictis Patriarchis occaſionem arripiens Noemi, cum Ruth nuru ſua Bethleem eſt reverſa: Audierat enim, quòd reſpexiſſet Dominus populum ſuum, & dediſſet eis eſcas. Oblatam à Deo occaſionem amplectens, & communi Bethleemiticarum matronarum acclamatione, dicentium: Hæc eſt illa Noemi, gratanter excepta eſt, & nurus ejus Ruth opportunè quoque occaſionis uſa ſuffragio, uxor magni illius Booz, & Davidis abavia facta eſt, atque in rectam genealogiæ noſtri Salvatoris ſeriem regeſta. Ut verè de ipſius felici fœcunditate dicerent mulieres, ſocrui ejus Noemi congratulantes; Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus, ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, &c.

Aliud ex ſacro codice proferamus occurrentis, & arreptæ occaſionis exemplum. Cùm jam filii Iſrael peccatis promerentibus, viginti annorum ſpatio, à Rege Chanaan ſubjugati premerentur, nihilque affulgeret auxilii niſi à Domino: accidit, ut mirabili occaſione tota illa calamitas in gaudium verteretur. Quando etenim Debora prophetiſſa duce Barac
C comitata, Siſaram principem hoſtilis exercitus, Domino eum cœlitus perterrente, vertiſſet in fugam: Siſara de curru deſiliens, fugienſque venit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi: (en cum ipſo accurrente ſimul accurrit occaſio heroicum facinus perpetrandi, in totius Reipublicæ, populique Dei liberationem, quàm Jahel illa fortiſſima non neglexit) Verùm ex ipſa ſacra Hiſtoria rei totius eventum audiamus.

Egreſſa igitur Jahel in occurſum Siſaræ (occaſioniſque eum comitantis) dixit ad eum: Intra ad me, domine mi, intra, ne timeas. Qui ingreſſus tabernaculum ejus, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam; Da mihi, obſecro, paululùm aquæ, quia ſitio valdè. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitque Siſara ad eam; Sta ante oſtium tabernaculi; & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens, Nunquid hìc eſt aliquis? Reſpondebis, nullus eſt. (Hem tibi opportunitatem opportunitate opportuniorem!) Quid accidit? Tulit itaque Jahel clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: qui ſoporem morti ſocians defecit, & mortuus eſt. Humiliavit
D ergo Deus in die illa Jabin Regem Chanaan coram filiis Iſrael: qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

Valdè tempeſtivè quoque arripuit occaſionem ex conſilio Nathan Prophetæ Bethſabea, ad filium ſuum Salomonem regali ſolio aſſerendum. Cùm ſiquidem ſubita factione Adonias ſe, patre adhuc Davide vivente, regem curaſſet proclamari; arrepta ex hac neceſſitate occaſione, dixit Nathan ad Bethſabee matrem Salomonis; Num audiſti, quòd regnaverit Adonias, & dominus noſter David hoc ignorat? Nunc ergo veni; (En tibi & hìc occaſionem per frontem apprehenſam, priuſquam elabatur) accipe conſilium à me, & ſalva animam tuam, filiique tui Salomonis. Vade, & ingredere ad regem David (periculum in mora, ideò accelerandum) & dic ei; Nonnè tu, Domine, mi rex, juraſti mihi ancillæ tuæ, dicens, Quòd Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo? quare ergo regnat Adonias? Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam poſt E
te, & complebo ſermones tuos.

VIRUM FACIT OCCASIO.

Verum autem eſſe, quòd dixit *Menander*; Multos occaſio viros non exiſtentes facit, ſacra hiſtoria de Barac teſtatum reddit: qui quoad ſe, tam erat formidoloſus ad ſuſcipiendam populi ſui ab hoſte vindicandi provinciam, ut reſponderet Deboræ prophetiſſæ, id muneris ipſi Dei juſſu deferenti; Si veneris mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum; non pergam. Quid obſecro viri in hoc pluſquam fœmineo reſponſio relucet? Dixitque ei Debora viriliter verè, ut ſorte jam verſa oportebat; Ibo quidem tecum; ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara. Vir tamen ex non viro tali occaſione factus eſt; nam fortem ſe, ſtrenuumque Ducem in hoſte perſequendo, fugandoque declaravit.

Ita & Philiſthæi, cùm propter Arcæ ſanctæ in Iſraelitica caſtra advectæ præſentiam, pluſquam ſemiviri eſſent effecti, occaſione neceſſitatis qua premebantur, viri ſunt facti, victoriamque reportarunt: Deo ſcilicet taliter populi ſui pec- F
cata puniente. Sic habet hiſtoria: Cognoverunt Philiſthiim, quòd Arca Domini veniſſet in caſtra. Timueruntque dicentes: venit Deus in caſtra. Et ingemuerunt, dicentes: Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiuſtertius: Væ nobis. Quis nos ſalvabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dii, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto. Hiſce communi lamento prolatis, animo quaſi planè præ metu conſternato, repentè, captata veluti occaſione ex ipſius mali præſentia eos perurgente, aſſurgunt in viros, ſeſeque mutuo animantes ita loquuntur: Confortamini, & eſtote viri Philiſtiim: ne ſerviatis Hebræis, ſicut & illi ſervierunt nobis: confortamini, & bellate. Pungaverunt ergo Philiſtiim, & cæſus eſt Iſrael, & fugit unuſquiſque in tabernaculum ſuum, & facta eſt plaga magna nimis: & ceciderunt de Iſrael triginta millia peditum. Et Arca Dei capta eſt. 1. *Regum. capite* 6. & 7. *&c.*

MUTAT SUBITO RES. G

Menandri quoque illa eſt veteribus celebrata ſententia: Celerrimè Occaſio permutat res. Prolatum jam nunc exemplum id clarum fecit: nam per occaſionem, utrobique res planè in contrarium permutatæ fuerunt. Quis ſimiliter iſtud non conſideret in admiranda illa rerum permutatione, quando tota Judæorum gens, crudelis Aman ſuperbia addicta ſupplicio, re in meliùs converſa, Judæi de ſuis hoſtibus ſumpſere vindictam: tot publico regis mandato internecioni traditis, quotvellent, ex iis, qui ipſis moliebantur exitium.

AMAN in propriam actus eſt crucem, quam Mardocheo pararat: & vertente calculum occaſione, Mardocheus purpura indutus, aureaque corona redimitus, Princeps palatii eſt declaratus.

Si quis fortè manubrium noſſe velit, quo veluti circumducto, totam rerum currentium rotam ſic invertit occaſio, partem hiſtoriæ ipſius obtutu ſolo conſignemus. Eſther totam Aman machinationem, ipſo accumbente, paucis, ſed efficacibus verbis, in menſa regi detexit. Rex verò ſceleſtum facinus obſtupeſcens, in hortum abiit meditabundus: reverſuſque tandem ad locum convivii reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo jacebat Eſther (rogabat ſiquidem H
illam miſer pro anima ſua) rex verò rem aliter interpretatus, ait: Etiam reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea? Hac occaſione res omnes quàm celerrimo motu ſunt in contrarium prorſus commutatæ: indeque omnis jam dicta viciſſitudo eſt conſecuta.

MAGNUM PARVUM FACIT.

Exempla ſuperiora de Jacob, Moyſe, Joſeph hanc rem demonſtrant.

Quanti momenti fuit Puellulæ illius Hebreæ à Syris captæ conſilium, quo & Naaman princeps militiæ regis Syriæ à lepra curatus eſt; & per illum (teſte ſacra pagina) dedit Dominus ſalutem Syriæ! Erat iſta in obſequio uxoris Naaman, quæ videns quotidianam ob contagii illius tædium afflictionem,

nem, & miſeriam, ait dominæ ſuæ, Utinam fuiſſet domi- A nus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria: profectò curaſſet eum à lepra, videtur innuere, dominum ipſius, à quo captiva ducta eſſet in Samaria quidem fuiſſe, ſed arripuiſſe occaſionem ſe in illa regione offerentem, Deo ſcilicet, per Prophetam largiente ſanitatem, & ſtupenda operantem. Nunc autem ipſa id referente, Naaman rem iſtam tali occaſione oblatam cordi accipiens, litteris à rege ob id exhilarato acceptis, profectus eſt, & inſperatam hactenùs incolumitatem acquiſivit. Quanti facienda fuerit occaſionis ubertas, primo licèt ortu in puella deſpicabilis, ex eo colligi poteſt, quod initio hiſtoriæ ponitur, hiſce verbis: Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud Dominum ſuum, & honoratus; per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ; erat autem vir fortis, & dives: ſed leproſus, ac ſi dicat, ex omni ferè parte beatus erat, malo illo unico excepto: quo per hanc occaſionem ſublato, quis credat quantum beneficii ipſi acceſſerit.

Verùm quid oberit, niſi fortè lectorem gravet, mirandum illud occaſionis exemplum adjungere, quo Samaritana B civitas arctiſſima illa obſidione ſoluta eſt. Quis non ſuſpiciat felicem illum miſerandæ civitatis eventum quatuor leproſorum, inediæ quàm patiebantur, occaſione obortum? Dum ſiquidem in univerſum omnes in extrema per hoſtilem obſidionem neceſſitate verſarentur, ipſique extrà mœnia degentes, fame tantùm non enecti, potiùs ſibi ſtipis conquirendæ gratia in hoſtium caſtra concedendum judicarent, quàm certæ per inediam morti occumbendum: effeciſſe videtur Deus occaſione ſtrepitus pedum iſtorum, ut ſonitus in caſtris videretur audiri curruum, equorum, & exercitus plurimi (juxta verbum Domini; Terrebit eos ſonus folii volantis, & ita fugient quaſi gladium) ſic ut ad unum omnes fuga ſibi conſuluerint, liberata ſit civitas ſtrictiſſima illa obſidione, ditatique ſpoliis cives, & magna Domini manus in opportunitatibus adjuvantis mirificè ſublimata.

Sed quoad divinæ gratiæ, Angeli tutelaris, temporis, occaſioniſque opportunitatem non negligendam, vitandamque diaboli molitionem, hæc dicta ſufficiant.

* HISTORICA EJUSDEM ARGUMENTI

VALET IN BELLO.

Polybius non malè; in Bellicis rebus, ait, minoris ſunt C momenti, quæ manifeſtè, & cùm violentia perficiuntur, quàm quæ opportunè fiunt. Item: Dominatur quidem Occaſio in cunctis rebus humanis; maximè verò in bellicis. Ponitque idem auctor varia exempla bellica fruſtratæ expeditionis, propter neglectum tempus, & opportunitatem.

Ac rectè quidem hæc omnia; quid namque virtus bellica proderit, ſi vel occaſio eam exercendi non detur, vel deſit prudentia, quam oblatam arripias? Magna moles ſua ſe tandem mole conſumit. Occaſio vero facit, ut parva nonnunquam manu, non parvam victoriam conſequaris. Alioqui quid arma, copiæ, viri, vires, & (quod ferè caput eſt) belli nervus, ſi rei benè gerendæ prudentiæ, vel perfracto quorundam judicio?

Non malè propterea mihi viſus Comicus ille dicere; Rerum omnium primùm eſſe tempus, hoc eſt, occaſionem, temporiſque opportunitatem in re ritè peragenda præcipuè attendendam. Unde & *Lyricus* probè callens quantum valeret opportunitas, ſic ſcribit:

niſi dextero tempore, Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem.

D Idem mittens Auguſto librum, monet eum, qui laturus erat, ut tempeſtivè adeat: ut videlicet.

Si validus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet.

Contrà de malè obſervata hujuſmodi opportunitate in ſimili negotio *Ov. Naſo* conqueritur, ſic inquiens;

Non adiit aptè, non legit idonea credo
Tempora ——

Conſulto itaque Pittacus Mitylenæus: Conſimiliter, vos qui vultis apud Principem impetrabiles eſſe, captate id tempus, quo remiſſior, hilarior, indulgentiorque eſſe ſolet: ſcitote plùs pollere tempeſtivitatem hanc, ad ſucceſſus petitionum, quàm adipem leonis, quam ſanguinem baſiliſci, quam ſpondylon draconis, quam anguium drynedarum ovum, cæteraque id genus promiſſa magicæ vanitatis.

Hinc de Veſpaſiano ab hiſtoricis proditum, id temporis fuiſſe facillimum, & indulgentiſſimum, quo in balneum, tricliniumque tranſibat, eaque momenta, atque occaſionem domeſticos ad aliquid perendum magnopere captaſſe. E Juxta illud Poetæ.

Sola viri molles aditus, & tempora noras.

Si conſiderationem hanc, & quaſi rationum conſtellationem, per accuratam diſquiſitionem, in expeditione bellica (quæ etiam in aliis quibuslibet locum habere poteſt) lubet in exemplo quodam intueri: audiamus apud *Titum Livium* Martium Imperatorem ad milites ſuos in concionem convocatos orantem. Tam ambiguus ſiquidem, & profligatus erat tum rerum in exercitu Romano ſtatus, ut flere omnes repentè, & offenſare capita, & alii manus ad cœlum tendere, deos incuſantes, cœperint: alii ſtrati humi ſuum quiſque nominatim ducem implorare, neque ſedari lamentatio poterat; excitantibus centurionibus manipulares, & ipſo minitante, & increpante Martio, in quem jam nunc ſub extrema hac animorum conflictatione, communibus omnium ſuffragiis, ſummam Imperii detulerunt. Exanimatio quippe militum inde oborta erat, quòd deletus jam exercitus Romanus, amiſſæque Hiſpaniæ viderentur: timerentque adventantem Aſdrubalem ad reliquias belli F delendas.

MARTIUS eos increpavit, quod in muliebres, & inutiles ſe projeciſſent fletus, potiùs quam ad tutandos ſemetipſos, & Rempublicam, ſecum acuerent animos, & ne multos Imperatores ſuos jacere ſinerent: quibus excitati milites repentè magnam ſtragem in hoſtilia caſtra intulerunt. Sed ad orationem ejus veniamus, qua poſteà ad ſerium cum hoſte conflictum ſuos inflammavit; omnibuſque benè conſideratis, cauſiſque urgentioribus ritè trutinatis, determinavit ex æquo, datam occaſionem eſſe arripiendam.

Verùm ſingula in ejus verbis attendamus, præſertim juxta conſiderandi, deliberandique rationem, cujus gratia iſtud pro exemplo adducimus. Sic itaque in gravi ſua oratione Martius ad ſuos milites: Eo ipſo quod difficillimum videtur, facillimum erit. Tertia vigilia noctis, ſilenti agmine ducam vos: exploratum habeo, non vigiliarum ordinem, non ſtationes juſtas eſſe, &c. Scio (inquit) audax videri conſilium: ſed in rebus aſperis, & tenuibus, fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt. Quia ſi in occaſionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paululùm fueris, G ne quidquam mox omiſſam queraris. Unus exercitus in propinquo eſt; duo haud procul abſunt: nunc aggredientibus par aliqua opportunitas, & jam tentaſtis veſtras, & illorum vires. Si diem proferimus, & heſternæ eruptionis fama contenti deferimus; periculum eſt, ne omnes duces, omneſque copiæ conveniant: tres deinde duces, tres exercitus ſuſtinebimus hoſtium; quos Cn. Scipio incolumi exercitu non ſuſtinuit. Hucuſque Martius verè Martius, æquus rationum, momentorumque æſtimator, trutinator, & conſiderator, nec non ſedulus occaſionis oblatæ obſervator: ut *Val. Max.* non immeritò ex capite concionantis ad milites, flammam eluxiſſe, teſtetur.

OCCASIO A LOCO

Cùm Antigonus in arduis, ac præruptis locis planitiei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus poſitis circa Napham caſtris, poſtridie per caduceatorem, ut in campum deſcendens, Martem experiretur, provocavit. Antigonus verò reſpondit, ſuam militiam non magis armorum, quàm temporum eſſe: Pyrrho, ſi illum vitæ tædium cepiſſet, ſatis multas ad interitum vias patere: Loci occaſio ſuadebat ſu- H perſedendum, interim temporis opportunitatem loci ſecuritate captabat.

Quocirca conſultè Scipio Africanus: Non eſſe cum hoſte confligendum, niſi aut invitaret occaſio, aut urgeret neceſſitas: quod incogitantis ſit, opportunitatem oblatam negligere; & extremæ ignaviæ, tum non præſtare fortem animum, cùm audacia ſpem præbet incolumitatis; formidoloſitas nihil aliud ſit, quam certum exitium. Ad aliam à loco captam occaſionem advertamus.

Iberi in Africa ingenti hoſtium multitudine excepti, timenteſque ne circumvenirentur, applicuerunt ſe flumini, quòd in altis in ea regione ripis profluebat: qui ita à tergo amne defenſi, & ſubinde cùm virtute præſtarent, incurſando in proximos, omnem hoſtium exercitum proſtraverunt.

Ita & C. Marius, in bello civili, cùm foſſa cinctus obſide- A retur ab hoſtibus, continuit ſeſe, tempus expectans opportunum (jam enim loci opportunitate fruebatur) Popedio autem Siloni dicenti; Si magnus es Imperator, ò Mari, deſcende in conflictum: Immò tu: inquit, ſi magnus es Imperator coge me nolentem ad certamen venire.

OCCASIO A TEMPORE.

At temporis nunc occaſionem militari in exemplo contemplemur.

C. DOMITIUS (quem Scipio major pro ſe Lucio fratri in bello adverſus Antiochum legatum dederat) ubi contemplatus eſſet hoſtium phalangem, exercitus præfectis hortantibus, ut confeſtim aggrederetur; negavit tempus fuiſſe, ad hoc, ut tot millibus trucidatis, ac direptis impedimentis, in caſtra reverſi ſua curarent corpora. Sed hoc ipſum poſtridie ſe tempeſtivè facturum dixit. Ac poſtero die congreſſus quinquaginta millia trucidavit. Vir ſtrenuus non dubitavit de victoria, ſpatium modò temporis gerendæ rei par, & opportunum eligebat.

Huic ſubdam non abſimile. Scipio minor, cùm videret hoſtes deſpondere animum; ajebat, ſe, ut tuto veniret, mora temporis emiſſe, addens, bonum ducem perindè, ut medi- B cum non niſi in extrema curatione ferrum adhibere. Nihilominus per occaſionem adortus Numantinos, terga illos dare compulit.

Ad unum adhuc commemoremus, in quo temporis ratio maximè habita conſideranda. Poſt calamitatem illam, quam Romani apud Cannas acceperant, F. Maximus creatus Imperator cum Claudio Marcello viro audaci, ſemperque geſtiente cum Annibale confligere; Fabius porrò ſpectabat, futurum, ut ſi pugna abſtineret, Annibalis exercitus ductu temporis deficeret. Id ſentiens Annibal, dixit, ſe magis formidare Fabium à pugna quieſcentem, quàm Marcellum pugnantem. Nam quantum periculi Annibal, tantùm lucri Fabius in mora poſitum æſtimabat.

OCCASIO A CIRCUMSTANTIIS.

Verùm nunc exemplis aliquot rerum, aliarumque circumſtantiarum occaſionem, ſimul tamen ſemper cum tempore obvenientem, animadvertamus. Publius Scipio in Hiſpania, cùm comperiſſet, Haſdrubalem Pœnorum Ducem jejuno C exercitu manè in aciem deſcendiſſe, continuit in horam ſeptimam ſuos, quibus præceperat, ut quieſcerent, & cibum caperent. Cùmque hoſtes inedia, ſiti, mora ſub armis, fatigati, repetere caſtra cœpiſſent; ſubitò copias eduxit, & commiſſo prælio, vicit.

Audiamus & Mithridatis induſtriam, occaſionis momenta librantem. Is ſiquidem cùm inſtructis copiis aliquando in Bithyniam moturus, pro concione ſuos hortatus dicitur, ut forti, alacrique animo novum bellum ſecum capeſſerent, ad quod invitus Romanorum ſuperbia, & avaritia compelleretur; ſpem certam ſecum ferrent, id bellum, ſi ullum unquam aliud, optatum exitum habiturum. Nobis florentiſſimæ, inquit, copiæ adſunt: & auxilia à gentibus invictiſſimis; omnia ita inſtructa, & parata, ut, ne Roma quidem incolumi, par eſſet nobis hoſtis futurus. Sed præter cætera, Occaſio omnium rerum gerendarum mater, præſentem victoriam pollicetur, qua ne majorem quidem auſus eſſe, quiſquam à Diis immortalibus implorare. Hactenùs Mithridates.

Ita & graviſſimæ circumſtantiæ à ſcriptoribus notantur, D quæ Alexandro occaſionem dederunt expeditionis in Aſiam. Sic quidam nominatim: Alexandro, quòd in Aſiam trajecerit, occaſio fuit Philippi mors relinquentis bellicoſos exercitus, exhauſtamque cladibus Græciam: ut omnes ejus populi, aut gratia, aut metu, cum Alexandro ſentirent.

POLEMONEM inſuper nobis ob oculos ſtatuamus, de quo ſic *Maximus Valerius*: Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemon, neque illecebris ejus tantummodo, ſed etiam infamia gaudens, cum è convivio, non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domumque rediens, Xenocratis Philoſophi patentem januam vidiſſet, vino gravis, unguento delibutus, ſertis capite redimito, perlucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominum ſcholam ejus intravit, nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam, ut clariſſimum eloquium, & prudentiſſima præcepta, temulentiæ laſciviis elevaret: orta deindè, ut par erat, omnium indignatione Xenocrates E vultum in eodem habitu continuit, omiſſaque re, quam diſſerebat, de modeſtia, ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemon, primùm coronam capite detractam projecit, paulò pòſt, brachium intra pallium reduxit; procedente tempore oris convivialis hilaritatem depoſuit; ad ultimum, totam luxuriam exuit, uniuſque oratione ſaluberrima medicina ſanatus, ex infami ganeone maximus Philoſophus evaſit. Peregrinatus eſt ejus animus in nequitia, non habitavit. At utinam, ſicut eum imitantur in malo quàmplurimi, ita in bono reſpondeant.

LEVISSIMA OCCASIO AD RES MAGNAS OPPORTUNA.

Hac de re habemus memorabile exemplum, quod accidit, cùm Borbonius patrum noſtrorum memoria, ex improviſo ad occupandam Romam Cæſarianum exercitum duceret. Cùm enim tormentis, & aliis rebus ad oppugnationem neceſſariis deſtitueretur, & veluti indagine incluſus ab hoſtibus eſſet, mirificus, & improviſus, & peropportunus ad expugnandam urbem caſus, & occaſio (ut *Bellajus* refert) accidit. F Etenim ſignifer quidam, cui ruina muri ad compitum Petrinum commiſſa erat, cùm Borbonium aliquot militibus comitatum, vinetum perrumpentem, ad explorandum locum vidiſſet, tanto metu perterritus eſt, ut cum in Urbem profugere cogitaret, ipſa ruina ſigno elato egreſſus ad hoſtes contenderet. Borbonius hominem ad ſe venire conſpicatus, alios ſubſequi, & eruptionem in ſe fieri arbitratus, gradum ſubitò ſiſtit, eo conſilio, ut ſuis collectis impetum tantiſper ſuſtineret, dum reliquus exercitus appropinquaret, qui confeſtim omnis in armis erat. Signifer extrà Urbem ad paſſus ferè trecentos progreſſus, audito ad arma capienda clangore, & clamore, ad ſe rediit, & inſtar ejus qui è ſomno excitatus animum colligit, è veſtigio urbem verſus ſe proripit, eademque ruina, qua exierat, ingreditur. Borbonius hominis geſtum admiratus, ſcalis arreptis ad murum accedit, ibique, illo interfecto, milites ſui in urbem irruperunt.

Simile quidpiam ſe in expugnatione Sanpauli vidiſſe idem *Bellajus* ſcribit, cùm alius quidam ſignifer in propugnaculo ſtaret ſignum manu tenens, & hoſtes ad oppuguandum G venire conſpiceret. Eum enim tanto terrore correptum, ut cùm in oppidum fugere cogitaret, feneſtra tormentaria egreſſus, ad hoſtes ſigno elato excurrerit, à quibus ibidem trucidatus ſit.

Sic inopinatus caſus ex leviſſima occaſione accidit, quo Belgarum, munimentum natura, & arte validiſſimum, abſente præfecto amiſſum eſt. Cùm enim is (ut *Dubravius in hiſtor. Boem.* aliter quàm *Paulus Jovius* refert) per cauſam petendi ſtipendii Budam in aulam regiam relicta arce ſine capite, ſe contuliſſet. Quæſtore illum fruſtrante, & ad extremum nihil annumerante conſtat pleriſque, inquit *Dubravius*, nec enim adhuc omnes mortui ſunt, centum tantummodo aureis pro ſtipendio adnumeratis, Belgradum retineri potuiſſe, ne in poteſtatem Turcæ veniret: ſed dum præfectus abſque nummis regredi ad ſuos non audet, & illi ſine duce inter ſe diverſi, ac diſcordes agunt, & mox circumfuſo pavore, quem ei Turca modico exercitu incuſſit, ita torpent, ut ad defenſionem nec animus, nec vires ſupereſſent, priuſquam illis ſuccurri potuit, deditionem fecerunt. Ad hunc mo- H dum Belgradum, aliorum quoque regnorum præter Hungariam munitiſſimum propugnaculum, ad confluentem Dravi, Savi, Danubii inclitorum fluminum ſitum, turpiſſimè eſt amiſſum: Hæc ille: Belgradum autem, vel Beligradum, hoc eſt oppidum Sirfiæ, vel Serviæ, notum eſt, & Abba Græca vulgò vocatur: Nandor Alba, Hungaris: τὰ Βελέγραδα, Cedreno: priſcis Romanis Taurinum fuit.

Huc referendum eſt, quod Urſpergenſis, & alii Hiſtorici de Hunnis tradiderunt. Scribunt enim, Hunnos citrà Mœotidem paludem habitaſſe, tantumque venationibus operam dediſſe, neque de aliis regionibus ſollicitos fuiſſe, non enim putabant in altera ripa terram cultam, vel homines reperiri. Verùm cùm fortè venatores quidam

con-

conſpicerent cervam lento greſſu paludes tranſeuntem, A atquè interdum, quaſi vadum exploraret, ſubſiſtentem, donec in alteram ripam evaderet, idque illis mirum, & inſolitum videretur; ejus ſemitam procul ſubſecuti ſunt, quoad ipſi quoque continentem attingerent. Ibi videntes regionem ampiam, & à Scythis habitatam, remeantes eadem via ad ſuos, illis indicarunt quid accidiſſet. Hi cùm audirent, paludes vadoſas, & permeabiles eſſe vix ſermonibus ipſorum fidem habuerunt: tandem perſuaſi, magno exercitu coacto, concluſerunt vadum illud à cerva illis divinitùs indicatum eſſe, trajectoque lacu, Scythas, & finitimos nihil tale opinantes oppreſſerunt, eoque interjecto tempore mira felicitate progreſſi ſunt, ut toti orbi terrarum formidabiles fuerint.

Eodem modo Clodovæo Francorum Regi pugnaturo contra Gothos, cervam vadum in flumine Vigenna demonſtraſſe memoriæ tradidit Annonius, vel Amonius.

Sozamenus autem *in hiſtor. tripartita Eccleſ.* ubi hanc hiſtoriam de cerva Hunnis vadum demonſtrante recenſet, bovem œſtro percitum, lacum tranſmiſiſſe ait, B eumque ſecutum Bubulcum; hunc cum terram incognitam ab altera parte vidiſſet, tribulibus ſuis id nunciaſſe. Primò igitur exigua manu militum de Gothorum viribus Hunnos feciſſe periculum: poſteà cum omnibus copiis illos aggreſſos prælio deviciſſe, & omnem eorum regionem occupaſſe.

Gallis autem olim obſidentibus Capitolium non ita felix eventus reſpondit, vel ut ethnicorum more loquar fortuna, licèt illis veluti viam ad occupandum Capitolium monſtrarit, attamen non, ſicut expetebant, arriſit. Cùm enim (ut hanc hiſtoriam poſt *Livium Plutarchus* in libro ſuo peculiari propè finem de fortuna Romanorum luculentè deſcribit) reliquiæ Senatus poſt acceptam cladem ad Alliam, in Capitolio à Gallis arctiſſimè obſiderentur, & in illis difficultatibus Furius Camillus (quem proſperis rebus populus elatum damnatum peculatus Urbe ejecerat) ab iis, qui ex prælio, & ſemicapta urbe effugerant, & Vejos convenerant, Dictator creatus eſſet, is ne temporum magis iniquitate quàm è legum præſcripto magiſtratum accepiſſe videretur, neque tanquam, complorata Republica palantis, C convenæque exercitus armis ad imperium raptus cenſeretur, voluit caſtrenſem imperii delationem ſenatus auctoritate confirmari, qui in Capitolio obſidebatur. Cajus igitur Pontius (libet enim *Plutarchi* verbis, interprete *Gulielmo Budæo*, Pariſienſi regio Secretario, uti) erat vir impiger, hic mandata ad ſenatum cùm ſe perlaturum recepiſſet; ingens adiit periculum; eunti fallendum per medios hoſtes erat, cùm excubiis, valloque circundata arx undique eſſet. Is ut ad amnem pervenit, ſuberibus latis incubans, corpus vectabili levitati credens, ſecundo ſe flumini permiſit, à quo clementer, placidèque devectus alteram ad ripam nullo negotio pervenit. Unde digreſſus per hoſtium rariſſima videbat, ex ignium ipſa raritate, ſilentioque captans. Ad collis indè prærupta cùm veniſſet, quacunque molliorem aſcenſum compererat, arrepens, quaque aſpera ſupinitas enitendi præbebat adminicula, ad hæc in ſalebrarum anfractus ſeſe inſinuans, omni ope, omnibuſque, ut ajunt, ungulis connixus, ad ſummum tandem evaſit, ibi à vigilibus admiſſus mandata obſeſſis expoſuit, acceptoque decreto, rursùs qua venerat ad Camillum regreſſus eſt. Ceterùm poſtridie luce orta, Barbarus quidam locum temere ocu- D lis, ut fit, luſtrans, cùm ſumma pedum veſtigia, fallentiſque ſe pedis lapſus, tum in obtrito, flacceſcenteque gramine, qua terrena loca erant, obliquos corporis tractus, & ſurreptantis veſtigia animadvertens, & popularibus ſuis detulit. Hi viam ſe ab hoſtibus interpretati edoctos, tentandæ rei conſilium capiunt, noctuque quàm infrequentiſſima interdiù obſervaverat ſcandentes, canes quoque excubitores, vigilumque comites, nedum vigiles ipſos ſomno ſopitos latuerunt. Nec ideò tamen Romana fortuna vocis indigna fuit, quæ tantùm malum prodere, indicareque poſſet. Anſeres Junoni ſacri ad Deæ templum alebantur. Hoc animal cùm natura facilè conſternabile eſt, & ad omnem ſtrepitum ſollicitum, tum id temporis præbente cibariorum inopia neglectum, tenuis à fame ſomni erat, proindè illicò ſenſerunt hoſtes jugum ſuperaſſe, turbidoque admodum id clamore prodidere advolitantes. Armorum deindè ſplendore conſternati, clangore vehementi Romanos, ad omnia collis E loca pertingente, excivere, qui re, ut erat, animadverſa, hoſtes celerrimè deturbatos in præceps impulerunt. Miratur ſe nunc etiam fortuna commemorandis his caſibus. Canis in crucem ſublatus, anſer in eleganti grabatulo geſta, oriolone quàm decentiſſimè ſedens.

Huc ex recentioribus exemplis non incommodè referri poteſt, quod *Fazellus* de accipitre ſcribit. Cùm enim Arragonii Caſiblim munitum locum Claremontorum occupare niterentur, & noctu cuſtodibus ſomno captis rupem caſtro prominentem ſcalis inſcendentes unam arcis turrim, effractis magna vi portis, cepiſſent, erectoque ex ea Regis inſigni aliam turrim eminentiorem eſſent aggreſſi, parvo eam negotio occupaſſent, niſi Accipiter armatorum ſtrepitu experrectus ſublatis vocibus, præfectum & arcis cuſtodes excitaſſet. Qui ubi hoſtes arcem ingreſſos vident, tribus facibus de more accenſis, vicinos amicos ad ferendas ſuppetias invocant, itaque ita Arragonii ab incepto interturbantur.

At Severiani, ut apud *Herodianum* legimus, feliciorem F eventum rebus ferè deſperatis ex improviſo occaſionem habuerunt, cùm munitionem Tauri montis, à Nigro magna diligentia ad cohibendum tranſitum conſtructam, oppugnarent, triſtes utique, ac citrà ſpem victoriæ, quippe valida, inexpugnabiliſque per ſe, & quæ monte ipſo præcipitioque defendebatur. Igitur jam defatigatis, alta adverſariorum ſecuritate, ecce tibi, nocte maximi repentè ruere imbres, oppleri omnia nivibus, ſunt difficiles in Cappadocia hyemes, maximeque ad Taurum montem. Quocirca ſubditus impetu magno erumpit torrens, curſuque impedito (quod munitio exitium prohibebat) major jam, violentiorque factus, quando artem ſuperante natura, tantùm impetum ſuſtinere munitio non poterat, laxatis paulatim coagmentis, ac fundamentis loco emotis, iter ſibi torrens patefecit. Quo animadverſo, qui in præſidio erant metu, ne ab hoſte circumvenirentur, nullo mox futuro propugnaculo ſimul unda reſediſſet, prodita cuſtodia, cuncti fuga dilabuntur. Itaque læti Severiani, confirmatique animis veluti Diis ipſis immortalibus manu ducentibus, cognito cuſtodes aufugiſſe, facilè ſcilicet nullis prohibentibus Taurum ſupergreſſi in Ciliciam G mox impetum fecerunt.

Eodem modo leviſſima occaſio Mario obſidenti in Numidia caſtellum natura, & operibus munitiſſimum, ut *Salluſtius* memoriæ tradidit, præter opinionem omnium curas ſuas, & anxietates levavit. Cùm enim inter ſpemque, metumque anxius hæreret, omitteretne inceptum, quod fruſtrà erat, an fortunam experiretur, qua ſæpè proſperè uſus fuerat, fortè quidam Ligur miles gregatius, caſtris aquatum egreſſus, haud procul ab latere caſtelli, quod adversùm præliantibus erat, animadvertit inter ſaxa repentes cochleas, quarum cùm unam, atque alteram, deindè plures peteret, ſtudio legendi paulatim ad ſummum montis egreſſus eſt: ibi exploratis omnibus, quæ mox uſui fore ducebat, eodem regreditur, & Marium edocet, quo in loco aditum inter præcipitia ad caſtellum notaverit. Explorata itaque re, hac occaſione uſus Marius, tam à tergo quàm à fronte oppugnationem urgens munitionem illam occupavit.

Legimus variorum regnorum Principibus nonnunquam rapam, raphanum, caſeolum, ruſticanum prandiolum, & ſimilia inempta, & in manu naſcentia, tempori oblata, magno fuiſſe in pretio. H

Ita qui Artaxerxi obequitanti, hauſtum ambabus manibus è proximo Cyro flumine aquam obtulit. Sic & qui malum punicum eidem in vanno præſentavit. Et quia quod Rex præ admiratione reſpondit, huic noſtræ ſententiæ eſt accommodatiſſimum, verbis auctoris id audiamus. Rex magnitudinem mali punici admiratus, interrogavit, è quonam horto depromptum hoc donum mihi adfers? Illo verò reſpondente, domo ſua, & ex ſuis agris: gaviſus rex ſupra modum, miſſis regiis muneribus virum donavit, &, Per Solem (inquit) iſte homo tali curatione, & diligentia, poterit etiam civitatem, meo quidem judicio ex parva ampliorem facere.

AGRIPPA magnus Rex Judæorum, cùm in privata fortuna Romæ eſſet, & eum propter falſas ſuſpiciones Tibe- A rius catenis ante palatium ad arborem vinciri juſſiſſet, ut inde in carcerem duceretur; in eo loco propter ſolis ardorem, animique moleſtiam magna ſiti torquebatur. Is cùm prætereuntem Thaumaſtum vidiſſet Caii ſervum, aquæ pergelidæ vas ferentem, oravit, ut bibere ſe ſineret. Quòd ille cum amanter feciſſet, dixit Agrippa, ſe pro ipſa re gratiam aliquando ei relaturum. Haud multò poſt igitur Tiberio Cajus in principatu ſucceſſit, à quo Agrippa, qui in ejus contemptum captus fuerat, liberatus, atque in Judæa Rex conſtitutus fuit, qui tunc à Cajo impetravit, ut ejus precibus Thaumaſtus liberaretur (à ſervitute videlicet.) Itaque poſteà ſuorum numero acceptum, regni procuratorem fecit, morienſque teſtamento ſanxit, ut uxor, ac liberi eodem apud ſe loco Thaumaſtum retinerent. En tibi, hauſtus frigidæ ex ſervo Regni fecit adminiſtratorem, occaſionis induſtria ex minimis maxima producente.

SALUTEM PROMOVET.

B Quis non videat accedentem, faventem, arridentemque Occaſionem rei benè gerendæ ſtatim eſſe complectendam, quam fruſtrà ſibi quis fingat reducem ad ſuum arbitrium? Id ſe ſatis intellexiſſe Tribunus ille re ipſa teſtatus eſt, qui occaſione Macarii Alexandrini converſus mundo valedixit. Cùm enim Macarius hic cum altero Macario Nilum tranſmiſſurus navim conſcendiſſet, uterque pannis obſitus, habituque deſpicato; eademque navi duo quoque Tribuni veherentur, cùm maxima pompa equorum, famulorum, aurearum veſtium: alter ex his Dei famulos conſpicatus ſedentes in angulo; Beati vos, inquit, qui mundum illuditis. Cui Macarius, Nos quidem mundum, vos autem mundus illudit. Quo ille tam brevi dicto (occaſione invitante) ita compunctus, & quaſi illuminatus eſt, ut domum reversùs, ſtatim omnibus, quæ habebat, diſtractis, monaſticam vitam ſecutus ſit.

Simile eſt quod de leviculæ cujuſdam Meretriculæ converſione apud *Gregor Nazianz.* legimus: qui ſic habet in Jambico carmine de Virtute: C

Polemo nec ipſe dignus eſt ſilentio:
Sermone celebre eſt omnium namque hoc quoque,
Erat impudicus moribus primùm admodum,
Libidinumque ſervus: at poſtquam eſt boni
Amore captus (neſcio an ſuo ipſius
Suaſus ſit uſus, an Sophi cujuſpiam)
Statim ſuarum ſic faces libidinum
Extinxit omnes: iſtud ex miraculis
Ut ejus unum proſequi haud verbis graver
Scortum vocarat quiſpiam juvenis ſalax.
Ut ergo meretrix atrium tetigit domus.
Polemona pictum prominentem conſpicant,
(Ore venerando namque erat, perquam & gravi)
Superata ſolo retulit viſu pedem:
Pictum perinde verita, luce ut præditum.

Hoc eſt, veram boni occaſionem, dum ſe offert, arripere.

D Denique illud his annumerem, quod in hiſtoria rerum Indicarum legimus; quomodo Amangucii quidam converſus ſit, ſola occaſione ſputi per unum è Patribus Societatis Jeſu patienter accepti. Cùm iſte eterſim in plateis ſcamno inſiſtens, populo illi barbaro Chriſti fidem annunciaret, vanitatemque idololatriæ oſtenderet, Impius quidam ex adſtantibus ceteris petulantior protractum ex imo pectore phlegma in faciem ejus expuit; quo facto, ſacerdos ille P. Franciſci Xaverii ſocius, nihilo plùs motus, quàm ut modeſtè accepto ſudario detergeret, pergeretque in cœpto ſermone: Ita quemdam alium ex primariis tali occaſione permovit, ut ex ſola illa animi conſtantia judicaret præſtantiſſimam eſſe Philoſophiam, quæ à talibus viris coleretur, quæque tales efficeret; & ſtatim Chriſtianus factus eſt. Ipſe occaſionem arripuit; & ejus occaſione civitatis totius facta eſt converſio.

* OCCASIONIS OBLATÆ NEGLECTUS, EJUSQUE incommoda. E

EX S. SCRIPTURA.

Quàm ſit intempeſtivum, quis ſufficienter explicet, quod optimarum rerum occaſio, quaſi cœlitus data frivolis, & merè puerilibus oblectamentis poſtponatur. Quis cladem illius noctis, tamque craſſæ ignorantiæ perniciem æquanimiter ferat? Quando percenſeamus perpeti fletu deploranda neglectæ occaſionis exempla, damna meritas pœnas? vix tamen dies elabitur, quin ſimul & optimæ occaſiones plurimæ elabantur.

Quàm optandam, ſtatim à lapſu redeundi gratiam primis noſtris parentibus obtulit Deus in paradiſo occaſionem, quando eos hiſce verbis, veluti ſtimulis, ad agnitionem culpæ provocavit: Adam, ubi es: (quoad locum, & quoad lapſum, ubinam es:) Item, Quis indicavit tibi, quòd nudus eſſes; niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti? Sed, eheu! non arripuit Adam oblatam tali occaſione gratiam; verùm ut ad folia ficus, ita ad peccati tegmina per excuſationem confugit. F

Mulieri quoque eadem eſt oblata occaſio veniam promerendi, dum per peccati confeſſionem invitatur ad pacem, & gratiam, hoc pacto compellata: Quare hoc feciſti? Verùm & ipſa in ſerpentem rejecit offenſam. Hinc ſpretæ occaſionis vindex, miſeranda mortalis vitæ calamitas, mortiſque imperium promanarunt.

Habuit occaſionem optimam Cain quoque, ex fratris ſui Abelis exemplo, ad gratum Deo ſacrificium offerendum, ejuſque gratiam demerendam: ſed dum ſpreta illa, potiùs in invidiæ occaſionem convertit; omnia illi præpoſterè deinceps ſucceſſere. Stupendos fecerunt gradus, quaſi pari paſſu, ejus & miſeria, & malitia; donec infelici tandem, infamique fine mors cuncta concluderet.

Quam malè ceſſit ſimiliter Hominibus illius ſæculi, quando Noe Dei juſſu arcam fabricabatur, ut inquit *D. Petrus 1. ep. c. 3.* & ipſe tam inviſæ machinæ ſtructura eis prædicabat vitæ in melius commutationem; quàm malè, inquam, ceſſit, occaſionem tam raram, tam evidentem, & G obviam ſic neglexiſſe! Increduli remanſerunt, ſapere noluerunt, neque unicam illam ſalutis anchoram apprehenderunt: ſed, ut ſuprà meminimus, comederunt, & biberunt, omnem mundi vanitatem ſectati ſunt: Et non cognoverunt (inquit Dominus) hoc eſt noluerunt attendere, neque intelligere, ut benè agerent; donec veniret diluvium, & tulit omnes. Tanti conſtitit vitæ, & ſalutis occaſionem habuiſſe contemptui.

Quid cauſæ, putamus, fuit; cur Cham maledictus à patre fuerit, & ſervus ſervorum fratribus ſuis conſtitutus, totaque ſtirps Chanaan deinceps ut infamis habita; niſi quia occaſionem nactus benè merendi de patre jacente in tabernaculo, potiùs in occaſionem riſus, & ignominiæ traxit? etiam fratribus ſuis id ignorantibus revelando? Iſti verò, occaſione conſulendi honori paterno benè utentes, à patre fuerunt benedictione remunerati.

Irriſerunt quoque oblatam ſalutis occaſionem, ut audivimus, Duo Generi Loth, quàm eis ipſe juſſu nuncii cæleſtis in manus dabat. Videbatur eis ludens loqui, inquit ſacra hiſtoria, ſed jocus ille certo ipſis exitio conſtitit. Nam igne de cœlo lapſo, cum reliquis Sodomitis abſumpti ſunt. H

Eſau ſprevit occaſionem rem ſuam inconcuſsè ſtabiliendi; Accepto ſiquidem pane, & lente, comedit, & abiit: parvipendens, quòd primogenita vendidiſſet. Ubi notanda venit craſſa illa in tam incomparabilis rei damno oſcitantia, quando ſingulare illud occaſionis beneficium tam indignè repellitur.

Optimam quoque convertendi ſe ad Deum occaſionem non arripuit Laban, cùm per Jacob ditatus, & à Deo fuerit benedictus, dicente ipſi Jacob; Modicum habuiſti antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es; benedixitque tibi Deus ad introitum meum. Sed tam benignè oblatam eſt aſpernatus occaſionem: manſit idololatra; & abeuntem Dei monitu Jacob cum uxoribus ſuis ejus filiabus hoſtiliter eſt perſecutus: illumque tractaſſet indignè hominum ingratiſſimus, niſi Deus ei anteà fuiſset interminatus, ne faceret. Valet, inquit, manus mea reddere tibi malum; ſed Deus

patris

patris tui heri dixit mihi; Cave, ne loquaris contra Jacob
A quidquam durius.

Sic fiunt, ecce & Deo odibiles, & ſibi, aliiſque injurii, quicumque oblatam ſalutis occaſionem vilipendunt. Poterat porrò iſte (ſi voluiſſet) hac occaſione, & veri Dei cultor fieri, & rebus omnibus affluere.

Occaſionem ſimiliter à Deo datam habuere Fratres Joſeph, & vitæ in meliùs commutandæ, & divini favoris ubertiùs obtinendi: tum quando ipſis ſua ſomnia futurorum præſagia recenſuit; tum quando divinum planè puerum, parenti tam gratum, Deoque chariſſimum, tanta cum animi alacritate, erga patrem obedientia, & ſincera in ipſos charitate, ad ſe venire conſpicerent, ſolandi eos gratia, viſendique hortatu patris, ſi cuncta proſpera ipſis acciderent. Quid intereà illi? ſuntne tantæ felicitatis opportunitatem in tam commodo comite, fratre inquam, amplexati? exoſculati ſunt amicam in tam amœno vaſculo occaſionem? minimè gentium. Spreverunt oblatam tanti boni anſam, atque in contrariam cuncta partem retorſerunt. Oderant eum (inquit hiſtoria,) nec poterant ei quidquam pacificè loqui.

B Occaſio majoris dilectionis conjunctioniſque animorum, invidiæ, & odii fomitem miniſtravit, nullo ſuo merito, ſed ipſorum perverſitate eam aſpernante; & univerſa, quæ in bonum erant accipienda, in malum convertente. Ecce inquiunt, ſomniator venit: venite, occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem, diceműſque, fera peſſima devoravit eum; & tunc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua.

Quantam, quamque multiplicem maximi boni occaſionem habuit Pharao Rex Ægypti, & ad Dei veri cognitionem, & ſolidæ proſperitatis aſylum conſequendum ſi arripuiſſet! Hanc ei pariebant, quaſi fœcundiſſimo matris cujuſdam ſinu, Joſephi ſapientia, vaticinia, conſilia, Dei numen in ipſo multis quotidie argumentis elucens, ſomniorum, viſorumque explicatio; in ſeptennalis inediæ calamitate prudenti proviſione ſuperanda, ſolertia; totius denique terræ Ægyptiacæ ipſi ſua induſtria, ſubjugatione. Attamen neglexit omnia, neque eò venit, quo ipſum quaſi protenſa manu ducebat occaſio: qui tandem in ſuum, ſuorumque caput, peſſimè abuſus eſt omnibus; amicam occaſionem in acerbiſſimi odii, & ſeveriſſimæ hoſtilitatis cauſam convertendo.

C Inſignem quoque ſe poſtmodum præbuit. Idem ipſe occaſionis bonæ contemptorem; quando, quot plagis à Deo pro populi Iſraelitici dimiſſione fuit caſtigatus, totidem fuit novis occaſionibus ad ſaniorem mentem revocatus. Neque tantùm neglexit, verùm etiam pertinaci malitia, corde obdurato, & tandem armata manu, totoque Regni robore, ſe tam ſalutari occaſioni objecit; ut mirum non ſit, ſi cum omnibus ſuis tam miſerandam in mari rubro perpeſſus ſit cladem. Nam divinæ vindictæ flagello perſtringitur, qui beneficæ manus obſequium averſatur. Quid enim eſt aliud Occaſio boni, quàm oblatum à Deo opportunitatis beneficium ad rectè agendum, ſalutemque promerendam? neque fas eſt, vel minimum magni regis (nedum Dei) donum contemnere.

Quàm indignè tulerit Moyſes populi Iſraelitici ingratitudinem, tanquam eximiæ occaſionis vituperium, vel eo ſolo potuit argumento conſtare, quod Dei digito conſcriptas tabulas iratus valdè projecerit, eaſque ad radicem montis confregerit. Videns ſiquidem populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes,
D cum per id occaſio eis potius daretur, ad ſibi de tali duce congratulandum, Deo gratias agendum, ad Moyſem ipſum factum jam Dei familiarem, ſuæque majoris felicitatis effectum patronum, magis honorandum, timendum, amandum; omnia in adverſam partem rapientes, tanti boni occaſionem, ut cauſam ſuæ inſaniæ peroportunam, ſunt amplexati. Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Ecce, quàm gravis noxæ eſt, prima fronte occaſionem malè excipere! Pœnas tantæ dementiæ dederunt, cæſis una die triginta tribus millibus.

Non impunè quoque ceſſit huic ingrato Populo ſpretæ injuria occaſionis, quando occaſione murmurantis promiſcui vulgi, quod cum ipſis de Ægypto conſiderat, ipſi pariter murmurare cœperunt, potius quàm ut occaſione panis angelici, ad gratiarum actionem, Dei laudem, conſtantiamque animarentur. E

Spreta tam ſplendida tantæ dignationis opportunitate, (cujus primùm occaſione non potuerant ſatis admirari, ſibique gratulari, exclamantes præ rei novitate, & ubertate, Manhu! Quid eſt hoc?) quaſi ſuæ ipſimet felicitati invidentes, planè in oppoſitum latus animos reflexerunt; irridentes, faſtidientes, & calumniantes donum cæleſte, dicenteſque, Anima noſtra arida eſt: Nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man. Item, Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.

Cùmque Sapiens in ſtupendis Dei Beneficiis erga hunc ſuum, populumque iſtud enumerans inquiat; Angelorum eſca nutriviſti Populum tuum: & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis, ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporis ſuavitatem. Subſtantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas: & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat convertebatur: Cùm (inquam) tam honorificè de hoc Dei munere, & maximæ gratitudinis occaſione huic populo præſtita ſentiat Sapiens, ut fermè neſciat, quibus verbis explicet; ipſi hanc occaſionem in rem veluti deteſtandam, & cum nauſea re- F ſpuendam, pervertentes, murmurarunt, execrati ſunt, fleveruntque cum ejulatu; adeò ut audiret, videretque Moyſes flentem populum per familias, ſingulos per oſtia tentorii ſui: Neque reticetur ibidem merita Dei indignatio ſuper intoleranda illa tanti boni deteſtatione. Iratuſque eſt Dominus valdè: ſed & Moyſi intoleranda res viſa eſt.

Ita proh dolor! Nobis frequenter accidit, ut quaſi mente capti occaſionem ad optima quæque oblatam, immò ad æternæ ſalutis aſſertionem, non ſolùm negligamus, verùm etiam ut rem odioſam faſtidiamus.

Imprudenter & Hanon egit, qui Legatos honoris, conſolationiſque gratia à Davide Rege miſſos, probris affecit, & cùm ignominia exploſit, ſed non impunè: quod etiam malè tractatæ occaſionis ſpecimen refert non obſcurum. Sic enim legimus: factum eſt autem poſt hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, & regnavit Hanon filius ejus pro eo. Dixitque David: faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater ejus mecum miſericordiam. Miſit ergo David conſolans eum per ſervos ſuos ſuper patris interitu. Ecce tibi occaſionem pacis, & amicitiæ, omniumque bonorum, quæ ex conjunctione animorum inter reges, & principes oboriri ſolent, fores pulſantem, & quærentem hoſpi- G tium.

At, quid accidit? num intro recepta, grataque fuit? Audiemus. Cùm autem veniſſent ſervi David in terram filiorum Ammon, dixerunt Principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum: Putaſne quod propter honorem patris tui miſerit David ad te conſolatores, & non ideò, ut inveſtigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam, miſit David ſervos ſuos ad te? O ingratitudinem! ò malevolentiam! notate, obſecro, occaſionis optimæ ſiniſtram interpretationem, defectu judicii, & prudentiæ, & exuberante nequitia. Tulit itaque Hanon ſervos David, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias uſque ad nates, & dimiſit eos.

Videre hic eſt quaſi ſpectaculum in theatro mundi exhibitum occaſionis opportuniſſimæ ludibrio habitæ, & vix eſt qui conſideret, doleatque ejus vices tam miſerandas, & tamen in caput univerſæ multitudinis redundantes. Ut enim ingratus hic hoſpes Hanon ſuæ ſtultitiæ pœnas dedit, bis ſtatim poſt bello victus, & ſubjugatus, ita graviſſimæ ferè ſemper ſupervenire ſolent poſt neglectam ejuſmodi occaſio- H nem calamitates; ſed raro, parumque animadvertitur, unde proveniant, ſicque fit indies major, ac major rerum optimarum jactura.

Si quis Thamnata civitatis, civiumque ejus Philiſtinorum afflictionem commeritam his velit apponere, per me licebit. Illi quidem Samſoni fecerunt injuriam, parumque grati ipſi fuerunt hoſpites: pater enim novæ nuptæ dedit eam alteri viro, Samſone ſecluſo.

Ita & cives Gazæ durum ei præbuerunt hoſpitium: nam circumdantes eum, poſitis in porta cuſtodibus, tota nocte cum ſilentio præſtolati ſunt, ut facto manè exeuntem occiderent. Sed utriſque ceſſit ex merito, & condignas violati juris hoſpitii luerunt pœnas.

Ita obfuit, occaſionem non dignoviſſe, neque obſervaſſe. Sed

Sed notandum, quòd in ejuſdem hiſtoria, dum parentes ejus
A mirarentur, quòd uxorem Philiſthæam expeteret, additur; Parentes autem ejus neſciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſtiim: eo enim tempore Philiſtiim dominabantur Iſraeli.

Ita quandoque in rebus maximis optimam occaſionem rei præclarè gerendæ deſerimus, captata inconſultè aliqua alterius ſe offerentis imagine.

Historica.

Cùm Totilas Gothorum Rex urbem Romam obſideret, & Beliſarius per amnem ferre obſeſſis opem vellet; interim dum feliciter munimenta oppugnat, quæ Gothi in medio Tiberi conſtituerant, perlato ad eum nuncio, Iſacium à Gothi captum eſſe, quem ipſe in Portu urbe ad mare preſidio uxori reliquerat; credidit Iſacium capi non potuiſſe, niſi urbs quoque Portus eſſet amiſſa. Itaque nuntii attrocitate attonitus, nulla re ultra petita, ut quomodo geſtum illud eſſet, quod nunciabatur, certior
B fieret; omiſſa victoria, quam penè manu tenebat, (en neglectam veram occaſionem ob aliam imaginariam tantùm) retrò ad Portum urbem ſe convertit, eo animo, ut vel illic occumberet, vel amiſſa recuperaret. Quò poſteàquam pervenit, incolumi reperta urbe intelligi Iſacium idcircò captum fuiſſe, quod contra ipſius imperium, ut cùm hoſte congrederetur, eruperat. Agnovit igitur ingentem errorem Beliſarius, in quem delapſus erat, dum malè intelligendo, feliciter cœptum certamen emiſit: tantumque ex eo dolorem concepit, ut penè ob id vitam amitteret.

Ita cognoſcunt quamplurimi ſuo malo docti, quam rectè, ſcitèque Evagrius: Eſt Occaſio præceps; & cum pedetentim ingreditur, apprehendi forſan poteſt: ubi autem manus effugerit, in ſublime avolat, & inſequentes ſe ridet; nec patitur ampliùs, ut ab illis capiatur. Quòd & Phothius argutè depingit in quadam epiſtola. Occaſionem elapſam video: nec ineleganter mihi proverbium imitans hanc fronte capillatam, poſt ad cutem uſque calvam depinxiſſe videtur. Cùm aliquis tempus è manibus elabi ſinit, etiamſi mille artibus inſequatur, comprehendere nequaquam poteſt.

C Annibal poſtquam Romæ expugnandæ datam (præſertim ſtatim à pugna Cannenſi) occaſionem neglexiſſet; finxiſſetque ſibi fortè aliam id peragendi opportunitatem (eorum more, qui umbraticam pro reali captant) bis pluvia denſiſſima oborta, coactus fuit à cœpto deſiſtere. Faſſuſque tunc eſt errorem, quem iſtiuſmodi imprudentes occaſionis æſtimatores committunt. Animadvertens (inquit Plutarchus) Annibal imbrem procelloſum uno, & altero iterùm die prohibere conflictum cùm Romanis, converſus ad ſuos exclamaſſe dicitur: Modò ſibi mentem potiundæ urbis Romæ, modò facultatem non dari. Ac ſi dicat, Cùm potui, nolui; cùm volui, non potui. Quia nempe oblatam occaſionem neglexerat, fruſtrà imaginariam captare conatus eſt.

Dolendum, durumque Chriſtiano nomini Occaſionis neglectæ exemplum in Hiſtoria Indica memoriæ proditum, ipſius auctoris verbis, quam breviſſimè potero, recenſebo.

Emmanuel Luſitaniæ Rex, de Sultani comparatione rur-
D ſus ab Rhodiis certior factus, ad Prætorem Lupum Soarium de rebus iis maturè præſcripſerat, mandaveratque, ut contra eum apparatum ſumma ope inſtrueret ſeſe, ac quanta maxima poſſet claſſe ultrò ad Arabiam tenderet; neu Ægyptios cum Indis conjungi, (nam id erat initio conſtitutum) ulla ratione pateretur. Soarius ſtatim ad eam expeditionem omnes curas, & cogitationes intenderat: adhibitaque diligentia, naves, quot anteà nunquam, ſeptem & triginta cunctis rebus ornatas. Cùm iis profectus Goa, præter Cambajum Armuziamque, repentè ad Ædenum applicuit. Perculſus inopinato adventu, & claſſis magnitudine Amirianus, qui magnam muri partem è recente Ægyptiorum oppugnatione ſtratam adhuc ruinis haberet; excidium metuens, tempori paruit: & claves urbis confeſtim ad Luſitanum ſuppliciter miſit (interſero ego his, occaſio ei claves non Adeni tantùm, ſed Turcici quoque imperii obtulit) & cur ſibi minus cum Albuquercio conveniſſet, cauſatus perfractum, & aſperum ingenium viri ſeſe ad urbem dedendam, E accipiendum intrò præſidium, & imperata facienda, paratum oſtendit.

Omninò præclara erat occaſio, tam opportunæ potiundæ urbis, & maximo rei Luſitanæ compendio, Saracenis & Ægyptiis Indicum mare in omne tempus intercludendi. (Jam neglectæ occaſionis tam optimæ flendum videre ſpectaculum) Verùm Soarius, antiqui moris homo, qui nimirum alienam è ſua æſtimaret fide, ne quid copiarum in ea cuſtodia relinquere cogeretur, atque ut quam integerrimas ad hoſtem afferret vires; pravo, quin potiùs nullo conſilio, rem in poſterùm diſtulit: in præſentia, commeatu multiplici in claſſem exacto, ad Camaranum proceſſit. (En, quod toties inculco, occaſionem veram, prætextu imaginariæ alicujus, ut videtur in ſpeciem opportunioris prætermitti.) At Amirianus, & Adeni incolæ ingenti levati metu, nulla mora interpoſita, reficere muros, alimenta convehere, cuſtodias augere, nitique certatim, ut tam eximiæ, tamque inſperatæ Superum in ſeſe indulgentiæ pro ſua quiſque parte reſpondeant. (Ecce tibi ſtudioſè captatam ab hoſtibus occaſionem, ex occaſione à noſtris tam craſſè neglecta) Quid accidit? cum jam Prætor, re infecta, & claſſe ſatis lacera rediret, inter clades, & ærumnas hybernis tranſactis, & aperiente ſe jam vere, ne nihil omnino egiſ- F ſe videretur; ex Arabico ſinu ad Africum litus trajecit; ibique Zeilam oppidum (quod Solymanno Adenum petenti enixè faverat, omniaque neceſſaria benignè ſuppeditarat) nullis vallatum mœnibus, aut propugnaculis, oppugnavit, & expugnavit adeòque injectis ignibus vaſtavit, ut ne alimenta quidem, quibus vel maximè egebant, Luſitani perceperit: nimirum Adenica freti copia, quo Prætor tanquam ad certam poſſeſſionem tota ſpe, & cupiditate ferebatur.

Sed eum improvida longè fefellit opinio. Siquidem ab Zeilana clade tranſuectus Adenum, cùm ab Amiriano fidem promiſſi repeteret: (En pro occaſione Metanoea adeſt) magno ſuo dolore denique ſenſit, quàm fugacia ſint occaſionum momenta, & quàm irrevocabilis rerum benè gerendarum prætervolet opportunitas. Amirianus quippe, dum rubro mari Luſitani vagantur, non modo novis operibus, militibuſque firmarat urbem, ſed etiam per exploratores, de naufragiis, interituque noſtrorum, ac turpi de Gippa receſſu, didicerat. Itaque rediens quaſſata claſſe, & imminutis copiis Prætor, adeò non movit oppidanos, ut iis etiam ludibrio, & contemptui fuerit. In ſumma rerum inopia, portu ex- G cluſus, plenus damni, ac mœroris, Indiam irrita expeditione repetiit.

Adeno habito poterat nullo negotio intercipi quoque Mecha, Buſtum Mahometis in noſtram poteſtatem redigi, atque iniici Turcis magnum frenum. Atque his omnibus ſtraverat ipſe nobis Sultanus viam, qui paulò ante ita Adenum quaſſaverat, ut ruinarum recentium occaſione nobis omnia fuerint ſponte oblata, ſi arripuiſſemus.

Ex quibus conſtat, quid ſit, quantique referat Occaſione uti poſſe; & è contra, eandem negligere.

Sed hic animi gratia ex *Petri Maffæi hiſtoria Indica* captatæ priùs, & tum neglectæ occaſionis exemplum proferamus. Præfectus Goanus, quem Soarius Prætor in locum ſuum abſens ſubſtituerat, dum mortem amici ſui Joannis Gometii ab Ancoſtane interfecti cupit ulciſci; ſeptuaginta pedites Luſitanos, & octoginta equites, & paulò plures Indos ad Ancoſtanem interficiendum, & Pondam diripiendam, delendamque mittit: qui cùm à Londanis interfecti eſſent, Idalcam non tam eo ſucceſſu, quàm violata ab Lu- H ſitanis pace lætari, oblataque ſibi occaſione, quam dudum expetiiſſet, Goæ bello recuperandæ: quippe tum prælio cuſtodibus imminutis, tum etiam ineunte per eos dies hyeme, quæ in aliquot menſes clauſum externæ opi mare eſſet habitura. Ecce peropportunè captatam rei benè gerendæ occaſionem, tot ſe argumentis, & præſidiis offerentem, tametſi non ex votis ſucceſſerit; Deo aliter diſponente, in populi fidelis patrocinium. Barbarus tamen, ut conſtat, occaſionis momenta benè expendebat.

A AD MALUM MINIMA OCCASIO

MAGNA EST.

Pulchrè Menander: Ad pravè agendum, parva ſatis occaſio eſt. Unde & natum creditur illud adagium: Occaſione dumtaxat opus eſt pravitati.

Proprium prorſus huic propoſito exemplum eſt, quando Semei tam plenus omnis mali fuit, ut minima tantum opus eſſet occaſione, qua totum virus ſuum in alicujus caput effunderet. Itaque Deus ei obtulit Davidem, qui ex ipſius malitia è converſo majoris meriti occaſionem eliceret. Itaque in illum, gurgitem maledictorum velut ſentinam copioſiſſimè evacuavit: adeò ut propterea diceret David, Dominus præcepit ei, ut malediceret David. Hoc eſt, quia certò erat malitiam ſuam in aliquem exerciturus, permiſit potiùs Deus, ut in eum exerceret, qui inde etiam fructum ampliorem colligeret. Occaſio juſta non fuit; ſed malo ipſi præmeditato, conveniens quædam rei aptitudo.

Ita fuit illegitima, & ſiniſtrè accepta occaſio quando Aaron, & Maria ſoror ejus, Moyſen probro jactaverunt, ob uxorem ejus (ut inquit ſcriptura) Æthiopiſſam; & ideò, quæ tam petulantis audaciæ caput fuerat, in Lepram incidit, ut corporis morbo mentis vitium puniretur.

B Dictum illud Domini noſtri, cum hac quoque quadrat ſententia, quando ſuorum carnalium amicorum ad malum paratam ſemper promptitudinem arguebat. Neque enim fratres (cognati) ejus credebant in eum. Dicit ergo eis Jeſus: Tempus meum nondum advenit: Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Ita nocendi cupidi, ad minimam occaſionis umbram, quam interdum, & ſibiipſi fingunt, parati ſunt lædere.

Huc ſpectat illud Fimbriæ figmentum, juſtæ occaſionis, & cauſæ prætextu in M. Scævolam excogitatum. Fimbria ſiquidem Romanus, omnium hominum audaciſſimus vulnus quodam tempore Mutio Scævolæ inflixit, volens eum trucidare, à quo tamen convaluit. Quod ut vidit Fimbria, ſe velle Scævolam in jus vocare, ait, & accuſare. Cùmque interrogaretur, in quo eſſet eum accuſaturus, (qua de cauſa ſcilicet quave occaſione id meditaretur) reſpondit ſe objecturum illi, quod nimis parcè telum in corpus ſuum recepiſſet: qui tandem etiam Scævolam occidit: quia homo ſceleſtus minima tantùm occaſionis ſpecie, vel temporis aptitudine indigebat, ut facinus intentatum perpetraret.

C

OCCASIO ERRONEA.

Nemo eſt neſcius quin interdum eveniat, ut aliquid oboriatur, quod per errorem pro occaſione juſta, vel veriſimili arripitur, & tamen reverà ejus, quod putabatur, ſubeſt nihil. Ita Prætoriani milites olim, ludos in theatro ſpectantes, cùm arbitrarentur quendam ex commilitionibus, quem Auguſtus ab apparitore amoveri juſſerat (equitum enim ordinibus, ubi ille conſederat, is debebatur locus) Auguſti juſſu interfectum eſſe, coorto tumultu, parum abfuit, quin Auguſtum interimerent. Sed remedio, fuit, quod is, quem interemptum putabant, incolumis repentè comparuit.

Sic etiam Lartes Tolumnius, Vejentium Rex, cùm in teſſerarum proſpero jactu, per jocum colluſori dixiſſet, Occide: & fortè Legati Romanorum interveniſſent, Satellites ejus errore vocis impulſi interficiendo Legatos, luſum ad imperium tranſtulerunt; occaſionis ſpecie arrepta, quæ verè nulla ſubierat.

D

MALEVOLE ACCEPTA.

Ejuſmodi occaſionum exempla plurima ſunt.

Talis erat Judæ captantis opportunitatem loci, temporis, perſonarum, & rerum, ad Chriſtum tradendum, ut pacto condixerat.

Item Seniorum Babyloniorum caſtitati Suſannæ ſtruentium inſidias.

Judæorum quoque quærentium anſam occidendi Dominum ſine ſtrepitu. Quæ non ſunt verò nomine occaſiones, nec à Deo conceſſæ, nec quærendæ, neque acceptandæ, dum ſe offerunt, quia dæmonis inſtinctu ita iſtæ opportunitates ſæpè adornantur, ut facilius gliſcat conceptum ſcelus, non niſi Deo tamen ita permittente.

Munera verò, & fructus ita ſumptæ occaſionis, nihil niſi magnam pariunt calamitatem. E

JUDAS à Dæmone poſſeſſus, propriiſque ſuſpenſus manibus, crepuit medius, & effuſa ſunt omnia interiora ejus.

Senes illi impuri lapidati ſunt, immortalem pro tentato flagitio referentes infamiam.

Judæi malè mulctati nota, & plaga indelebili.

GIEZI puer Elizæi avaritiæ ſatiandæ occaſionem obliquè arripiens, pro munere lepram Naaman contraxit, ita quotquot alicujus peccati occaſionem ſe nactos exiſtimarunt, ſe ipſi fefellerunt; & more piſcium, eſcam à naſſa petentes capti ſunt, & ſuo malo ſapere docti.

Sic Filius Prodigus cum ſui ſimilibus, luxurioſis ganeonibus; Epulo dives avarus cum lurconibus; Joab truculentus cum homicidis; Aman faſtuoſus, cùm ſuperbis; Phariſæi hypocritæ cum ſimulatoribus. Et qualicumque vitio obſtricti, ad quod ſpecies aliqua occaſionis eos quadam opportunitate videtur allicere; omnes niſi filii Prodigi exemplo converſi fuerint, miſerandus manet interitus.

OCCASIONIS AD MALUM

FUGIENDÆ.

Occaſionem explendæ libidinis habuit Joſeph, ipſamet hera eum, quæſita opportunitate captante, ſed evitavit, F averſatus eſt, eluctatus eſt, chlamyde quoque in ipſius manibus relicta.

Occaſionem trucidandi Saulem, hoſtem jam factum, habuit non ſemel David; ſed nunquam atripiendam eſt ratus.

Occaſionem peccandi habuiſſe Suſanna dici poteſt (qualem ejuſmodi captores effingunt, & optandam exiſtimant,) quando oſtiis pomarii clauſis, ſola ab illis nefariis judicibus ad conſenſum poſtulabatur. Sed mortem elegit potiùs, quàm aſſentiri nequitiæ.

Occaſionem tali ſpecie pictam habuerunt & Apoſtoli deſerendi Chriſtum, abeundique retrò cum reliquis, præſertim quando rogabantur à Domino? Nunquid & vos vultis abire? ſed neutiquam apprehendendam exiſtimarunt: Petro nomine omnium reſpondente, Domine, ad quem ibimus; verba vitæ æternæ habes.

Ejuſmodi, & quidem ſplendidas, ac velut benè comptas ſceleris audendi, occaſiones habuerunt omnes illi Martyres, & Virgines, quibus honores, divitiæ, regales nuptiæ, regna integra quandoque oblata ſunt; ſi modo in illicitum actum G flecti ſe ſiviſſent: ſed mortem contemptis omnibus ſibi perſuaſere præferendam.

OCCASIONIS AD MALUM ARREPTÆ

PUNITIO.

Hanc poetæ non iufeſtivo commento exprimere conati, Midæ fabulam obtendentes. Ut ſiquidem avarus is erat, percommodam fovendæ, explendæque illi ingluviei occaſionem ſe nactum arbitrabatur, cùm Liberum hoſpitio excepiſſet. Pro hoſpitalitatis itaque officio, quodcumque poſtulaſſet, impetravit; ut nimirum in aurum verteretur quidquid attingeret. Quis uberiorem tali occaſione exſpectaret hoſpitii remunerationem? ſed quid accidit? Huic felici miſero & eſca, & potus, dum ſumendo contingebat, in aurum verſa, necem pro vitæ incolumitate, ac pro beatitudine miſerandum exitium erant allatura; niſi Pactoli profluvio ablutus diſcrimini ſe eripuiſſet.

Si ſtipendia peccati mors, inquit, Apoſtolus. Ita ſpecio- H ſa illa confictæ occaſionis amœnitas, poſteà in majorem tormenti acerbitatem, juſto Dei judicio commutatur. Impleturque illud Poetæ:

——*nocet empta dolore voluptas.*

Illudque S. Scripturæ: Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit: tantùm date illi tormentum, & luctum.

Ita Dives Epulo in illis maximè fuit cruciatus, quæ utcumque ei optatam dederant peccandi occaſionem, quales erant divitiæ, veſtes ſplendidæ, epulæ, amici, favor hominum, & otium cum Cornucopia.

* DE

* DE OCCASIONE ARRIPIENDA, VEL

A FUGIENDA.

APOPHTHEGMATA. ETHNICORUM.

THEMISTOCLES, Antiphates adoleſcens, qui priùs Themiſtoclem amantem fugerat, ac faſtidierat, ubi vidit illum gloria celebrem potentiaque magna pollentem, ultro adiit illum blandiens, cui Themiſtocles: O adoleſcens! ſero quidem ambo, ſed tamen ſapere cœpimus. Sentiens, illum non arripuiſſe occaſionem ſeſe offerentem, ſibi verò nunc non vacare per negotia talibus affectibus indulgere. *Plut. in Græcor. apopht.*

Cùm Antigonus in arduis, ac præruptis locis planiciei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus poſitis circa Napham caſtris poſtridie per caduceatorem, ut in campum deſcendens Martem experiretur, provocavit. Antigonus verò reſpondit, ſuam militiam non magis armorum, quàm temporum eſſe, Pyrrho ſi illum ſuæ vitæ tædium cepiſſet, ſatis multas ad interitum vias patere. *Plut. in Pyrrho.*

Poſt calamitatem à Romanis apud Cannas, acceptam Fabius M. creatus eſt imperator, cum Claudio Marcello, viro audaci, ſemperque geſtienti cum Annibale confligere. Fabius B potius ſperabat futurum, ut ſi pugna abſtineret, Annibalis exercitus ductu temporis deficeret. Id ſentiens Annibal dixit ſe magis formidare Fabium à pugna quieſcentem, quàm Marcellum pugnantem. *Plut. in Rom. apoph.*

C. DOMITIUS, ubi contemplatus eſſet hoſtium phalangem, exercitus præfectis hortantibus, ut confeſtim aggrederetur, negavit tempus ſufficere ad hoc: ut tot militibus trucidatis, ac direptis impedimentis in caſtra reverſi, ſua curarent corpora. Sed hoc ipſum poſtridie ſe tempeſtive facturum dixit: Ac poſtero die congreſſus, quinquaginta millia trucidavit. Vir ſtrenuus non dubitavit de victoria, ſpatium modo temporis gerendæ rei par eligebat. *Plut. in apopht.*

SCIPIO Africanus, cum hoſte dicebat non eſſe confligendum, niſi aut invitaret occaſio, aut urgeret neceſſitas: quòd incogitantis ſit, opportunitatem oblatam negligere, & extremæ ignaviæ ſit, tum non præſtare fortem animum, cùm audacia ſpem præbet incolumitatis, formidoloſitas nihil aliud quàm certum promittit exitum. *Plut. in vita ejus. Val. Max. lib. 7. cap. 2.*

SCIPIO Minor, cùm videret hoſtes deſpondere animum, ajebat ſeſe; ut tuto veniret, mora temporis emiſſe, addens Bonum C decem perinde ut medicum non niſi in extremò curatione ferrum adhibere. Nihilominus per occaſionem adortus Numantinos, terga illos dare compulit. *Plut. in Rom. Apoptb.*

C. MARIUS, in bello civili, cùm foſſa cinctus obſideretur ab hoſtibus, continuit ſeſe, tempus expectans opportunum. Popedio autem Siloni dicenti: Si magnus es imperator, ò Mari deſcende in conflictum. Immò tu, inquit, ſi magnus Imperator, coge me nolentem ad certamen venire. *Plut. in Apopb.*

CHRISTIANORUM.

Ex Apophtegm. Laurentii Beyerlinck.

Veluti temporibus medicina valet, ita ſuo quæque tempore rapienda eſt quidvis faciendi Occaſio. Refert de quodam Eremi incola *Caſſianus*, quòd in tantùm boni operis Occaſionem captaverit, ut nunquam eam præterire fuerit paſſus. Quare cùm è patria litterarum faſciculum accepiſſet, ne aperire quidem eum dignatus; at igne ſuſcitato, univerſum (ut erat) in illum conjecit, dicens: Ita cogitationes patriæ, pariter con- D cremamini: nec me ulterius, ad ea quæ fugi, revocare tentetis. *Caſſ. Monaſt. inſt. lib. 5. cap. 32.*

Non minùs ſapienter egregius Antiſtes Vvigornienſis Vvolſtanus, cuidam frequenter eadem peccata confitenti, dixiſſe fertur: Opportunitas, ut video, latrones facit: ideò ut vitiorum importunitate careas, id unum neceſſarium, Religioni, dum potes, te dedas. *Sur. Tom. 1. in vita.*

Monachus Ægyptius. ☞ *Require apopht. de* IRA.

Prudens etiam Religioſi verbum fuit cujuſdam. Cum namque indomitæ carnis ſtimulos, jejunii, & mortificationis cote attereret, rogatus, quam ob cauſam ſe tam graviter affligeret; Ut, inquit, exſurgentes libidinum aculeos ſuperem, & cum iis furoris occaſionem tollam, novi enim furorem ſemper pro libidine litigare. Pulchre *Greg.* More ignis libido ſuccenditur, & ſi negligenter extinguitur, adiacens ſtipula velociter inflammatur. *Socrat. Trip. hiſt. lib. 8. c. 1.*

Concertantibus nonnullis quænam res majorem adferret moleſtiam; cùm hic litem forenſem, ille moroſam conjugem diceret, intervenit alius, qui, allud ego, inquit, ubique moleſtum reputo, quòd tempeſtivè, & in loco factum non fuerit. E Ita olim è Græcis Comicis *Menander*:

Omnia tempeſtivè gratiam habent.

Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει ζυγώμενα.

Guil Richterus *in Axiom. Polit.*

Oculus.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

OCULUS, ὄμμα ὀφθαλμὸς, & ὀφθαλμία, oculorum morbus dicitur, Oculi dicuntur, quia ſuperciliorum tegminibus occuluntur, *ſecundùm Varronem* Hebr., *Hain*, Oculus, verbo *Hajan*, aſpexit, direxit oculum aliquid intuendo. Poetis Theæ filii dicuntur. Etiam Hebræis *Ooghen* in uſu eſt, id eſt, altum, quaſi nos moneant originis noſtræ, & ob id datos, ut cœleſtia contemplemur.

* OCULI NATURA.

Non defuerunt Phyſici, qui oculos exiſtimarunt naturæ eſſe igneæ, ut *Empedocles*, & *Timæus*, *Ariſtoteles* tamen affir- F mat eſſe naturæ aqueæ *lib. de ſenſu, & ſenſib. cap. 2.* Et id rectè, dominatur namque in eis frigidum, & humidum, utpotè qui coaleſcunt ex membranis, adipe, & humoribus, quæ omnia frigida ſunt.

* PRÆSTANTIA.

Aſpectus omnium ſenſuum præſtantiſſimus habetur.

Primo, quia tenuioribus, & à materiæ fæce liberioribus, ac non niſi per diaphanum illuſtratum tranſmiſſis imaginibus ad functiones ſuas utitur, nullamve realem immutationem ab objecto recipit, ſed tantùm notionalem, nec enim v.g. exalbeſcit viſo candore.

Secundò, quia ejus actio celerrima eſt, utpotè quæ momento fiat.

Tertiò, quia è longiori tractu res attingit.

Quartò, quia (ut cæteras ejus prærogativas omittamus) plures rerum differentias comprehendit; quandoquidem viſu totius mundi fabricam, & ornatum intuemur, lucis pulchritudine fruimur, colorum varietatem diſtinguimus, corporum omnium magnitudinem, figuram, numerum, proportionem, ſitum, motum, & quietem aſſequimur. Ideòque nullus ſenſus ad cognitionem inventione propria comparandam magis ido- G neus eſt.

Unde *Plato in Timæo* viſui acceptam refert Philoſophiam; &, ejus imitator *Philo Judæus in lib. de ſpecialibus legib.* Defluxit, inquit, Philoſophia è celo in hominum animos, ſed Oculis ſequeſtris deducta eſt in hoſpitium. Nam hi primi conſpexerunt vias, quæ à cœlo ad nos tendunt, regias. *Item in lib. de mundi opificio:* Quòd, inquit, mens in animo eſt, id oculus in corpore. Videt enim uterque, altera intelligibiles res, alter ſenſibiles. Viſus autem mentis ad noſcenda incorporea; oculi ad contemplationem corporum, quæ res ad alia multa prodeſt, & in primis ad id, quod maximum eſt, ſcilicet Philoſophiam. Multa de oculorum ſitu, & præſtantia ſcripſit in ſuo *tract. de Viſus nobilitate Laur. Ferrier.* Medicus. Regis Chriſtianiſſimi.

* SITUS.

Quòd verò ad oculorum ſitum attinet; libet, quæ *D. Ambr. lib. 6. Hexamer. c. 9.* ea de re ſcripſit in hunc locum transferre. H Adhærent velut quibuſdam montium ſuperciliis oculi, ut & protegente montis cacumine tutiores, & tanquam in ſummo locati, de quadam ſcena ſuperiore univerſa proſpectent. Neque enim oportebat eos humiles eſſe, ſicut aures, vel os, ipſoſque narium interiores ſinus. Specula enim ſemper in alto eſt, ut advenientium catervarum hoſtilium explorari poſſit adventus, ne improviſo occupent otiantem, vel urbis populum, vel imperatoris exercitum. Sic latronum quoque caventur incurſus, ſi exploratores in muris, aut turribus, aut montis excelſi ſupercilio ſint locati, ut deſuper ſpectent plana regionum, in quibus inſidiæ latronum latere non poſſint. In mari quoque poſitus, ſi quis terræ appropinquare ſe conjicit, in ipſa mali faſtigia, & celſa antennarum cornua voti explorator aſcendit, & adhuc inviſibilem reliquis navigantibus eminus terram ſalutat.

At fortè dicas, ſi ſpecula editior neceſſaria fuit, cur non ſupra ſummum verticem capitis oculi conſtituti ſunt, ſicut